DE IURANDI APUD ATHENIENSES FORMULIS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS HOFMANN

RHENANUS.

DARMSTADII

TYPIS G. OTTO

1886.

RUDOLFO SCHOELL

P. C.

Quaestionem difficilem necdum, ut mihi quidem persuasi, profligatam de heliastarum Atheniensium iureiurando cum repetendam susciperem, intellexi consilio meo satis fieri non posse nisi reliquis quoque iurandi formulis, quae aut auctorum antiquorum aut titulorum memoria ac fide traditae sunt, in examen vocatis. Etenim spes erat fore ut ex usu plus minusve sollemni et constanti atque ex ipso formularum discrimine de locis obscuris atque ambiguis certius iudicium fieret. Collegi igitur omnia quaecumque mihi praesto essent studiumque in eis posui, quae viri docti data occasione saepe in diversas partes disputaverunt. Quae usque adhuc dispersa nunc coniuncta proponere et disceptare num pretium operae fuerit, benevoli huius scriptiunculae lectores diiudicabunt.

Omnes autem quas novimus iurandi formulae in duo distingui possunt genera, quorum alterum sacramenta legitima continet cum institutis rei publicae necessario coniuncta, quae certis temporibus plerumque anniversariis repeti solebant, alterum ea quae in rationibus cum aliis civitatibus ineundis foederibusque usu veniebant: quae licet certam notam ac formulam ipsae quoque sequerentur, tamen non concipiebantur nisi ubi rcs posceret atque ad rem praesentem accommodabantur ita, ut nisi aliqua rerum gestarum ratione habita nequeant recte explicari. Quod alterum genus ab hac mea disputatione excludendum fuit et alii opportunitati scribendi reservandum: in priore, quod versatur in institutis reipublicae Atticae

legitimis, pro viribus meis accurate examinando operam collocavi ita, ut agerem

I. de heliastarum iureiurando
II. de epheborum „ „
III. de senatorum „ „
IV. de magistratuum „ „
1) de archontibus
2) de strategis.
V. de diaetetis et de certaminum iudicibus.
VI. de demotarum iurandi formulis quae extant quattuor.

I.

DE IUDICUM IUREIURANDO.

Iudicum iusiurandum Demosthenes in Timocratea (or. XXIV, 148) recitari iubet, ut demonstret in verba „οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα“ sollemnia illa in senatorio iureiurando iurare non solere iudices Athenienses. Ubi quae extat iurisiurandi formula, § 149—151, in libris tradita, ea non effugit communem sortem omnium quotquot in Atticorum orationibus inserta leguntur documentorum. Nam de eius quoque formulae fide vehementer dubitatum est. Quam cum aliena plura continere viri docti quidam animadverterunt, tum copiosissima disputatione Westermannus in tribus commentationibus (De iuris iurandi iudicum Atheniensium formula, quae extat in Demosthenis oratione in Timocratem, Lips. 1858—59), cuius argumentationem et editores secuti sunt et nuper Fraenkelius retractavit (Der attische Heliasteneid in Hermae vol. XIII 1878. pag. 452—67)[1] totam a falsario aliquo minime erudito fictam esse probare conatus est, quippe quae et contineret quae a iudicum iureiurando prorsus abhorrerent et omitteret quae diserte ex iureiurando iudicum apud auctores potissimum oratores enotarentur. Quod quo iure statuatur, cum eius documenti patronus nemo adhuc extiterit, iam mihi accuratius quaerendum est.

Formula autem haec est (sequor Dindorfii edit. Oxon.):

Ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ [*καὶ κατὰ τὰ* al.] *ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς τῶν*

---

[1] Nec dissentit Lipsius in Meieri et Schoemanni libri de lite Att. ed. altera I, p. 153 sq.

πενταχοσίων· καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι οὐδ' ὀλιγαρχίαν· οὐδ' ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἢ λέγῃ ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων οὐδ' οἰκιῶν[1] οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται, οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλον οὐδένα ἐάσω· οὐδ' ἀρχὴν καταστήσω ὥστ' ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων καὶ τοῦ ἱερομνήμονος καὶ ὅσαι [ὅσοι S] μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται ταύτῃ τῇ (leg. τῇ αὐτῇ) ἡμέρᾳ, καὶ κήρυκος καὶ πρεσβείας καὶ συνέδρων· οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ. οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ οὔτ' ἄλλῃ [ἄλλοι al.] εἰδότος ἐμοῦ, οὔτε τέχνῃ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ. καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντ' ἔτη. καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε [τε om. S] κατηγόρου καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν, καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ἡ δίωξις ᾖ. ἐπομνύναι [sic Bekkerus; legebatur ἐπόμνυμαι, ἐπόμνυμι γρ. S. ὄμνυμι F] Δία Ποσειδῶ [Ποσειδῶνα S] Δήμητρα καὶ ἐπαρᾶσθαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοι [παραβαίνοιμι S. A. K.], εὐορκοῦντι δὲ πολλὰ κἀγαθὰ [καλὰ καὶ ἀγαθὰ S] εἶναι.

Ad quae singillatim examinanda iam accessurus sequar ordinem legis, quem ad modum Westermannus quoque secutus est.

Prima verba: ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς τῶν πενταχοσίων plurimis oratorum locis sunt confirmata neque quin

---

[1] οἴκων est in cod. Parisino S optimo correctum ex οἰκείων. Plerique οἰκιῶν: quae lectio commendatur formula notissima εἶναι δὲ γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας. (C. I. A. I, 59. II, 14. 41. 42. 44. 68. 70.) Quamquam quod in inscriptione antiqua Halicarnassensi (Newton Halicarn. tab. LXXXV; Röhl IGA. 500) in consimili re notanda saepius legitur μὴ παρ[α]διδό[ναι] μή[τε] γῆν μήτε οἰκ[ία] v. 9, τῷ νεμομένῳ [τ]ὴν γῆν ἢ τὰ οἰκ[ί]α v. 25, δικάζ[ε]σθαι περὶ γῆ[ς ἢ] οἰκίων v. 16, καρτεροὺς δ' εἶναι γ[ῆς κ]αὶ οἰκίων v. 29, neutrius generis formam οἰκίων commendare videtur.

integra sint quisquam dubitat.[1] Senatus autem quingentorum praeter populum mentio fit propterea quod populi decreta rata non erant, nisi de quibus antea senatus consultum (*προβούλευμα*) factum esset. Neque enim ad senatus decreta quae proprie dicuntur *βουλῆς ψηφίσματα* haec pertinent, quae ad ipsius senatus provinciam spectabant neque ultra eum annum quo perlata erant valebant. (Demosth. XXIII, 92 *ὁ νόμος δ' ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βουλῆς εἶναι ψηφίσματα*). Etiam hoc constat in capite iurisiurandi formulae haec verba suum locum habuisse: quod testatur Aeschines or. III, 6 *διόπερ καὶ ὁ νομοθέτης τοῦτο πρῶτον ἔταξεν ἐν τῷ δικαστικῷ ὅρκῳ: „ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους"*. Notatu autem dignum est bis dictum esse in nostra formula *τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων* praeposita mentione populi, id quod loco Demosth. XIX, 179 infra citato dilucide confirmatur. In inscriptionibus enim fere semper priore loco senatus, altero populi fit mentio ut in sollemni illo *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, quippe cui verborum ordini ipsa rerum agendarum ratio plerumque respondeat. De paucis illis quae ab hoc ordine discrepent, scite exposuit Koehlerus in Hermae vol. V p. 13—15 ad C. I. A. II 126 et II 76, quibus exemplis addi possunt C. I. A. I 59, II 18. 65. 66. In nostra autem formula non ratio rerum in comitiis agendarum respicitur, sed id concilium priore loco nominatur, penes quod maior erat in re publica auctoritas atque potestas.

Atqui ex iisdem fere quos citavi oratorum locis et ex Pollucis testimonio comperimus additam fuisse huic sententiae alteram, quam in nostra formula frustra quaerimus. Legimus enim apud Pollucem VIII, 122 *ὁ δ' ὅρκος ἦν τῶν δικαστῶν, περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσὶ ψηφιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, περὶ δὲ ὧν μὴ εἰσί, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ*, et apud Demosth. XX, 118 *χρὴ τοίνυν — — κἀκεῖνο ἐνθυμεῖσθαι καὶ ὁρᾶν, ὅτι νῦν ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους δικάσειν ἥκετε, — — — καὶ περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ κρινεῖν*. XXIII, 96

---

[1] Lys. XXII, 7 *ὑμεῖς δὲ κατὰ τοὺς νόμους ὀμωμόκατε ψηφιεῖσθαι.* Isaeus XI, 6. Isocr. XIX, 15. Demosth. XXI, 42; XVIII, 121; XXIII, 101; LVIII, 25; denique XIX, 179 *ὀμωμόκατε ψηφιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων.*

γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκασιν. XXXIX, 40 *ἀλλὰ μὴν ὧν γ' ἂν μὴ ὦσι νόμοι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκατε, ὥστ' εἰ μηδεὶς ἦν περὶ τούτων κείμενος νόμος, κἂν οὕτω δικαίως πρὸς ἐμοῦ τὴν ψῆφον ἔθεσθε.*

Eandem sententiam in aliis iurandi formulis invenimus, velut in demotarum iureiurando Demosth. LVII, 63 *ἔκ τε γὰρ τοῦ ὅρκου ἐξήλειψαν τὸ ψηφιεῖσθαι γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ καὶ οὔτε χάριτος ἕνεκ' οὔτ' ἔχθρας*: atque opportune Fraenkelius (l. c. p. 456) et iurandi formulam synegororum pagi Attici citat C. I. A. II 578 v. 15 *καὶ [ψηφι]εῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ δικαιότατα εἶναι* et Amphictyonum Delphicorum C. I. A. II 545 *Δικα[ξέω τ]ὰς δίκας ὥς κα δικαιοτάτα[ι] γνώμα, [τὰ] μὲγ γε[γρα]μ[μένα ...... περὶ ὧν δὲ μὴ γέ]γρα[πται, κ]ατὰ γνώμαν τὰν αὑτοῦ, καὶ [ἕτ]ερα ἀ[νὰ] τὰν δ[ίκ]αν οὐ [... οὐδέ]ποκα ..*, denique Lesbiacorum in urbe Ereso iudicum (cf. Sauppii comment. de duabus inscriptionibus lesbiacis. Gott. 1871. Caueri del. inscr. gr. ed. 2. 430 C) *ὄμνυν δὲ τοὶς πολίτ[αις] τοὶς δικάζοντας· [ἦ μ]ὰν δικάσσω τὰν [δίκαν ὄ]σσα μὲν ἐν τοῖς [νόμ]οισι ἔνι, κὰτ τοὶ[ς νόμο]ις, τὰ δὲ ἄλλα ἐθ[ελ]όντας ὡς ἄριστα [καὶ δ]ικαίτατα, καὶ τιμά[σ]ω, αἴ κε κατάγνω, ὄρθω[ς κ]αὶ δι(καί)ως· οὕτω ποήσω ναὶ μὰ Δία καὶ Ἄλιον.* Addenda iudicum Calymnensium formula (Newton Ancient greek inscr. in the Brit. Mus. II v. 299[a]) *[δικασσέω περὶ] ὧν τοὶ ἀντίδικοι ἀντώμοσαν κατὰ γ[νώμαν τὰν δικαιοτάτα]ν κτλ.*

Neque dubitari potest quin huiusce modi sententia imprimis in iudicum iure iurando iure ac ratione locum habeat; nam cum ne in optimis quidem legumlationibus omnia cauta atque provisa esse possunt, tum in eis quoque causis iudicandis quarum nominatim in legibus mentio fit semper permultum arbitrio iudicum permitti consentaneum est. Quod enim Fraenkelius l. c. p. 456 addit: hoc iurisiurandi praecepto indicari potius potuisse quam compensari vitium legum institutorumque Atticorum proprium, hoc vitio, opinor, omnis legislatio laborat: ita ut qua religione iudices iurant se, ubi leges non sint, ex aequo atque bono iudicaturos esse, ea recte communis omnium legum defectus resarciri posse videatur.

Iam omissam in formula iurisiurandi nobis tradita particulam, quam ibi extitisse certum est, ut probabili quadam

ratione excusarent, nonnulli viri docti[1] finxerunt bina dedisse iudices iuraiuranda, alterum anno ineunte quod extaret in Demosthenis Timocratea, alterum quotiescumque in munere iudiciali versarentur, unde verba illa apud Pollucem ceterosque excitata desumpta essent. Sed eam rationem explicandi ne ipsis quidem qui eam protulerunt satis probatam Westermannus refutavit, qui unum tantum idque annuum fuisse ius iurandum evicit.

Aliter rem explicaturus Platnerus (Prozess u. Klagen I p. 80 sq.), cum formulam Soloneam (Timocr. § 148) Demosthenes recitari iubeat, verba *περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ* necessario postea addita esse autumat propterea quod post Solonis aetatem non solum causae quaedam, de quibus certae leges esse non potuissent, ut *εἰσαγγελίαι* et *γραφαὶ παρανόμων*, sed etiam aliae res, ut foedera, iudicibus diiudicandae fuissent: in quibus iudices non certas leges, sed suam ipsorum tantum in rebus publicis prudentiam sequi optimaque fide iudicare potuisse. Verum hanc quoque coniecturam Westermannus refellit; neque enim ulla prorsus subest causa qua sententiam *περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι κτλ.* quam magnopere incertam et in universum dictam esse ipse Platnerus concedit, a iuris iurandi formula vere Solonea alienam esse contendamus; immo si postea certis de causis addita esset, eo magis eam hic desideraremus, quod ex ipsius orationis argumento apparet oratorem formulam recitari voluisse eam, in quam illa quoque aetate iudices Athenienses iurabant. Neque quicquam iuvat quaerere utrum Demosthenes persuasum habuerit formulam quam recitari iubeat meram Soloneam esse an, ut Westermannus monuit, sollemnem oratorum atticorum usum secutus sit, quos in legibus omnis generis citandis Solonem appellare solitos esse constat.

---

[1] Schoemannus, de sortitione iudicum apud Athenienses, 1820 p. 4. Antiq. iuris publ. Gr. 1838 pag. 266, 10; Gr. Alterthümer I³ p. 504; Meierus et Schoemannus, Attischer Prozess 1824 p. 135, 20; Meierus, Privatschiedsrichter und öffentliche Diaeteten Athens. 1846. p. 12.

Itaque cum hanc sententiam *περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ* et optime ad iudicum iusiurandum quadrare et disertis testimoniis ei tribui viderimus, concedendum est carere illis verbis nostram formulam non posse. Atqui id quidem nego ex ea omissa statim sequi ut totam formulam pro commenticia habeamus, praesertim cum quam male acta illa publica in oratorum Atticorum libros inserta tractata sint in confesso sit; neque si nullam in reliquis offendendi subesse causam intellexerimus, quin sola librariorum culpa exciderint haec verba dubitabimus.

Nimirum veteres scriptores in exhibendis actis litterisque publicis non ea qua nos diligentia uti solere aperte intellegimus ex decreto de Lycurgi honoribus quod servatur in Plutarchi q. f. libello de X oratoribus p. 852 comparato illo cum ipso titulo nuper reperto C. I. A. II, 240, de quo accurate egit C. Curtius Philologi vol. XXIV p. 83 sq. Rem illustrabo ea decreti parte exscripta quam e mutilato titulo viri docti probabiliter restituerunt:

In inscriptione C. I. A. II, 240 frgt. 6. vs. 5 sq.	In vitt. X or. 852 C.
τὴν δὲ σ[κευοθήκην καὶ τὸ θέατρον τὸ] Διονυσιακὸν ἐξηργάσα[το τό τε στάδιον τὸ Παναθην]αϊκὸν καὶ τὸ γυμνάσιον τ[ὸ κατὰ τὸ Λύκειον κατεσκεύ]ασεν	καὶ τὴν σκευοθήκην καὶ τὸ θέατρον τὸ Διονυσιακὸν ἐξειργάσατο καὶ ἐπετέλεσε τό τε στάδιον τὸ Παναθηναικὸν καὶ τὸ γυμνάσιον καὶ τὸ Λύκειον[1] κατεσκεύασεν
καὶ ἄλλαις δὲ πολλαῖ[ς κατασκευαῖς ἐκόσμησεν] ὅλην τὴν πόλιν·	καὶ ἄλλαις πολλαῖς κατασκευαῖς ἐκόσμησε τὴν πόλιν.
καὶ φόβων κ[αὶ κινδύνων μεγάλων τοὺς] Ἕλληνας περιστάντων	
Ἀλε[ξάνδρῳ Θηβῶν ἐπικρατήσα]ντι καὶ πᾶσαν τὴν Ἀσίαν κ[αὶ ἄλλα δὲ τῆς οἰ-	Ἀλεξάνδρου τε τοῦ βασιλέως ἅπασαν μὲν τὴν Ἀσίαν κατεστραμμένου,

[1] leg. cum titulo τὸ γυμνάσιον τὸ κατὰ τὸ Λύκειον.

κουμένης (?) μ]έρη κατα-στρεψαμένῳ δι[ετέλει ἐναντιούμενος ὑπὲ]ρ τοῦ δήμου ἀδιάφθορον κ[αὶ ἀνεξέλεγκτον αὑτὸν ὑπὲρ] τῆς πατρίδος καὶ τῆς τῶ[ν Ἑλλήνων ἁπάντων σωτηρίας] διὰ παντὸς τοῦ βίου παρ-[έχων καὶ ὑπὲρ τοῦ τὴν πόλιν] ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτ[όνο-μον πάσῃ μηχανῇ ἀγωνι]ζό-μενος,	*κοινῇ δὲ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἐπιτάττειν ἀξιοῦντος,*
δι' ὅπερ ἐξαιτή[σαντος αὐτὸν Ἀλεξάνδρου ὁ δ]ῆμος ἀπέγνω μὴ συν-χωρῆ[σαι μηδὲ λόγον ποιεῖσθαι τῆς] ἐξαιτήσεως ἅμ' ἐν τοῖς ἄ[λλοις πᾶσιν συνειδὼς ὧν μετ]έσχεν Λυκούργῳ τὴν ἀπ[ολογίαν δικαίαν οὖσαν·	*ἐξαιτήσαντος Λυκοῦργον ὡς ἐναντία πράττοντα αὐτοῦ, οὐκ ἐξέδωκεν ὁ δῆμος παρ' Ἀλεξάνδρου φόβον·*
καὶ δ]οὺς εὐθύνας πολλάκις [τῶν πεπολιτευμένων τε καὶ τῶν] διῳκημέν[ων ἐν ἐλευθέρᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ]ι πόλει . .	*καὶ διδοὺς εὐθύνας πολλάκις τῶν πεπολιτευμένων ἐν ἐλευθέρᾳ καὶ δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει, διετέλεσεν ἀνεξέλεγκτος καὶ ἀδωροδόκητος τὸν ἅπαντα χρόνον.*

Videmus nullam prorsus sententiam ad verbum a scriptore vitt. X orat. redditam esse, permulta funditus mutata, nonnulla quae minoris momenti esse viderentur omissa, ceterum ipsum decreti argumentum recte esse servatum. Quodsi hoc decretum nisi a scriptore vitt. X oratorum non traditum esset, porro ex eodem verba quaedam alio loco excitarentur ab illo scriptore omissa, veluti *καὶ φόβων καὶ κινδύνων μεγάλων τοὺς Ἕλληνας περιστάντων* vel *ὑπὲρ τοῦ τὴν πόλιν ἐλευθέραν εἶναι καὶ αὐτόνομον πάσῃ μηχανῇ ἀγωνιζόμενος*, praepropere

inconsultoque acturum esse apparet, si quis ex his verbis omissis totum illud decretum fictum esse putaverit.[1]

Attamen num verba *περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ* inserenda sint continuo post *καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων*, de eo ambigi potest. Certe nescio an sententiarum tenorem illo loco inserta turbent: nam verba *ἢ λέγῃ ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα* referenda sunt ad *κατὰ τοὺς νόμους — καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων*. Neque tamen de certa illorum verborum sede quaestio decidi potest priusquam de eis quae proxime sequuntur diiudicatum sit, quae quidem ex sententia omnium fere hominum doctorum ab iudicum iure iurando alienissima esse dicuntur.

Sunt autem haec: *καὶ τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι οὐδ᾽ ὀλιγαρχίαν· οὐδ᾽ ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἢ λέγῃ ἢ ἐπιψηφίζῃ παρὰ ταῦτα, οὐ πείσομαι· οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων οὐδ᾽ οἰκιῶν, οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται οὐδὲ τοὺς μένοντας ἐξελῶ παρὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς οὔτ᾽ αὐτὸς ἐγὼ οὔτ᾽ ἄλλον οὐδένα ἐάσω.*

His in verbis quibus, ut breviter dicam, iudices obligantur ut liberam Atheniensium rem publicam servandam curent, viri docti magnopere offenderunt, cum ea minime iudicibus convenire intellegerent. Schoemannus (Att. Prozess p. 129 sq.) haec verba in iudicum iureiurando ita tantum ferri posse concedit, ut aut de ea cogitemus actione, qua rogationes ad populum latae per actionem legum violatarum, quam *παρανόμων γραφήν* vocant, ad heliastarum iudicium delatae sint, aut de nomothetarum collegio ex heliastis creando. Quamquam Westermannus ne ita quidem haec verba excusari posse putat, cum heliastis sive in actione legum violatarum iudicibus sive nomothetis utique eadem ratione procedendum fuerit, ita ut verba: *ψηφιοῦμαι — περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ* prorsus sufficiant. Neque credi posse,

[1] Cf. etiam foederis Atheniensium cum Argivis Mantineensibus Eleis icti formulam, quae extat in C. I. A. IV, 46[b], a Thucydide V, 47 nonnullis mutatis paucis omissis redditam.

qui de statu reipublicae mutando sive evertendo cogitet, cum nomothetis rem disceptandam committere. Ac de nomothetarum collegio Platnerus quoque cogitavit: ceterum idem offensionem tollere ita studuit, ut hoc iusiurandum non iudicum tantum sed omnium civium fuisse censeat. Quae sententia quibus grammaticorum locis firmatur[1] eos parum valere Westermannus exposuit, cum ex uno loco Demosth. XXIV, 78, ubi *ὀμωμοκότες* opponuntur *τοῖς ἀνωμότοις*, pro certo concludendum sit hoc iusiurandum non esse datum nisi ab ipsis iudicibus: itaque haec verba omnino contionem non iudicium redolere eaque inepte videri ab auctore formulae ex iure iurando aliquo omnium Atheniensium ad iudices translata esse.

Concederem hoc, si heliastarum provincia et auctoritas intra muneris iudicialis angustias coercita esset. Atqui constat eam multo latius patuisse neque versari in solo iudicio, verum publica iura atque potestates complecti ipsius popularis imperii propria. Quae cum nuper illustraverit Fraenkelius in libro qui inscribitur: Die attischen Geschworenengerichte (Berol. 1877 p. 21 sq.), eum potissimum secutus nonnulla eaque gravissima hic apponam.

Primum enim ex heliastarum arbitrio pendebant omnes magistratus, qui munera sua suscipere non poterant nisi ab heliastis probati. Quae probatio (*δοκιμασία*) quo valuerit optime intellegitur ex loco Lysiae XIII, 10 *στρατηγὸν χειροτονηθέντα ἀπεδοκιμάσατε οὐ νομίζοντες εὔνουν εἶναι τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ·* itaque cum iudices magistratus a contione designatos et probare et reicere potuerint, ipsis comitiis quodammodo eos praeponi apparet. Pariter magistratibus omnibus munere deposito in iudicio rationes reddendae erant.

Neque civitatis ius peregrinis impertiri contionis suffragiis licuisse nisi probatione coram iudicibus confirmaretur multi docent loci[2]: unde ibi quoque fieri potuit, ut universi populi voluntas irrita redderetur iudicum sententiis. Idem aliquo

---

[1] Harpocr. *Ἀρδηττός· ἐν τούτῳ, φασί, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν.* Lex. rhet. ap. Bekk. Anecd. I, 443, 23; 207; Suidas s. v. *ἡλιαστής.* Etym. M. p. 147, 10.

[2] cf. formulam titulorum velut C. I. A. II 395 *δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν δοκιμασθέντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατὰ τὸν νόμον.* [Demosth.] LIX, 89 sq.

modo de omnibus populiscitis valet, quae si contra leges rogata esse arguerentur,[1] iudicibus disceptanda diiudicandaque ea res mandabatur. Accedunt pactiones cum exteris civitatibus commercii potissimum causa confectae (σύμβολα), quarum confirmandarum munus mandatum est iudicibus, postquam ut par est in contione de hac re actum est, unde adeo Hegesippus (de Halon. 9) arrogantiae Philippum insimulat, qui pactiones, quas iudices Athenienses iam comprobassent atque confirmassent, ipse denuo examinare vellet: ἔτι περὶ συμβόλων φησὶ πεπομφέναι πρὸς ὑμᾶς τοὺς ποιησομένους, ταῦτα δὲ κύρια ἔσεσθαι οὐκ ἐπειδὰν ἐν τῷ δικαστηρίῳ τῷ παρ' ὑμῖν κυρωθῇ, ὥσπερ ὁ νόμος κελεύει, ἀλλ' ἐπειδὰν ὡς ἑαυτὸν ἐπανενεχθῇ, ἐφέσιμον τὴν παρ' ὑμῶν γενομένην γνῶσιν ὡς ἑαυτὸν ποιούμενος.[2]

Denique nomothetas, quoties de novis legibus rogandis aut veteribus abrogandis agendum erat, populi iussu ex heliastarum numero creatos esse iam diximus.[3]

Hanc officiorum multitudinem et varietatem si respicimus, tantum abest ut heliastarum auctoritatem iudicandi munere circumscribamus, ut iudicia unam tantum neque gravissimam provinciae eorum partem effecisse dicamus. Quin heliastas aetate provectiore atque ipso iureiurando ex turba universi populi exemptos legitima auctoritate potentiores fuisse quam ipsam contionem atque principem in republica locum obtinuisse concedendum est. Neque veteres hanc iuratorum iudicum potentiam ignorasse sunt quae illustrent testimonia: Demosth. LVII, 56 ὁρῶ γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐ μόνον τῶν ἀποψηφισαμένων Ἁλιμουσίων ἐμοῦ κυριώτερ' ὄντα τὰ δικαστήρια,

[1] De hac actione, quam παρανόμων γραφὴν vocabant, subtiliter egit Madvigius (Ueber die Grenze der Competenz des Volkes und der Gerichte bei den Athenaeern (γραφὴ παρανόμων) in Script. minor. p. 378—390) qui eam semper ad violatam legitimam rogandi normam, non ad rogationis argumentum pertinere exposuit, quamquam orationes in ea actione habitae discrimen illud consulto neglegunt.

[2] cf. Schoemann, Att. Prozess p. 776 n. 9.

[3] Cf. Demosth. XXIV, 21; XX, 93. Fraenkel l. c. p. 23. Westermann, die Modalität der athen. Gesetzgebung in Abhandlgn. d. sächs. Ges. d. W. I, 3. R. Schöll, über attische Gesetzgebung in Sitzungsber. der bayr. Ak. d. Wiss. 1886. 1.

ἀλλὰ καὶ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου. XX, 93 *συνίεθ' ὃν τρόπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὁ Σόλων τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθέναι, πρῶτον μὲν παρ' ὑμῖν, ἐν τοῖς ὀμωμοκόσι, παρ' οἷσπερ καὶ τἄλλα κυροῦται.* Demosth. XXIV, 78. cf. [Xen.] de republ. Athen. III, 6; Aristot. Pol. III, 1 p. 1275 alia ap. Fraenkelium l. c. pag. 39 n.

Quae cum ita sint, cum civibus nullo alio nisi sollemni iudicum iureiurando obstrictis omnis legum cura rerumque publicarum ex legibus gerendarum custodia mandata fuerit, verisimile est infuisse in ipso illo iureiurando quae ad defendendam liberam rem publicam tuendasque leges pertinerent, neque illud pro iudiciali tantum sed pro civili iureiurando esse habendum, quod ad totum rei publicae statum servandum datum sit. Certe non mirabimur primo sacramenti loco in universum de libera republica secundum leges servanda ac defendenda (*κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου*), nec vero de uno quod ad iudicium spectat officio verba fieri.

Neque magis in ipsis de quibus agitur verbis offendendum: modo teneamus quantus semper apud Athenienses fuerit dominationis tyrannorum timor quantaque semper invidia flagraverint, qui nimiam potentiam appetiverint. Quaecumque enumerantur, singulorum et paucorum dominatio, res publica eversa, novae tabulae, agri publicati, exules vel capitis damnati restituti, cives in exilium contra leges populique scita eiecti omnia optime quadrant ad huiusce modi iusiurandum civile. Veluti singulorum dominationis eversaeque rei publicae eisdem fere verbis mentio fit in iureiurando, quo Athenienses omnes anno a. Chr. n. 411 post extinctam quadringentorum dominationem obstricti sunt: Andoc. I, 97 *κτενῶ — — ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνησι, — — καὶ ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναστῇ ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ κτλ.* Cum rei publicae commutatione *χρεῶν ἀποκοπάς* et *γῆς ἀναδασμόν* et alii iungunt et Isocrates XII, 259 *ἀλλ' οὐδὲ πολιτείας μεταβολὴν οὐδὲ χρεῶν ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν τῶν ἀνηκέστων κακῶν* (cf. Demosth. XVII, 15). Denique de exulibus revocatis civibusque in exilium contra leges eiectis apte conferri potest C. I. A. I 9, ex quo Erythraeorum senatores civitate eorum in dicionem Atheniensium recepta in simillima

iurasse verba comperimus: *οὐδὲ] τῶν φ[ευ]γό[ντων] δέξομαι ··· — οὐδὲ τῶν μενόντων ἐξελῶ ἄνευ τῆς βουλῆ[ς* (ita enim legendum esse puto pro *γνώμη[ς*) *τῆς Ἀθη]ναίων καὶ τοῦ [δ]ήμου* (cf. etiam senatus et iudicum ius iurandum de Chalcidensium rebus C. I. A. IV 27ª v. 7 sq.)

Haec si recte disputavimus, si conceditur heliastas, quippe qui totius civitatis vicem agerent, primo loco adactos esse iureiurando se liberae rei publicae leges atque instituta per omnia esse servaturos: etiam quae sequuntur faciliorem habebunt explicatum: *οὐδ' ἀρχὴν καταστήσω ὥστ' ἄρχειν ὑπεύθυνον ὄντα ἑτέρας ἀρχῆς, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων καὶ τοῦ ἱερομνήμονος καὶ ὅσαι*[1] *μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ*[2]*, καὶ κήρυκος καὶ πρεσβείας καὶ συνέδρων· οὐδὲ δὶς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ.*

Ubi sententiam qua spondent iudices se neque ullum magistratum instituturos nisi ratione muneris gesti reddita neque passuros esse quemquam aut bis eodem magistratu aut duobus uno eodemque anno fungi, locum habere in nostra iurandi formula Westermannus concedit, cum omnibus magistratibus sive sorte sive suffragiis creatis coram iudicibus probatio subeunda fuerit. Quamquam ipsa verba quae traduntur ei hiulca et salebrosa videntur, qualia in sollemni iurandi formula tolerari nequeant.

Apparet quinque qui nominantur magistratus in duo genera distingui, quae primo quidem aspectu ad notum illud discrimen respicere videntur, quod inter magistratus *κληρωτούς* et *χειροτονητούς* fieri solet[3]. Quam distinctionem quod ita demum ferri posse Westermannus dicit, ut ponamus eos qui enumerantur magistratus solos fuisse, quibus ante reddi-

[1] Nihil quidem interest utrum *ὅσοι* cum S. an *ὅσαι* scribatur, tamen cum reliquis codd. *ὅσαι* praeferendum esse censeo, quod aptius ad *ἀρχήν* et *ἀρχῆς* notiones referri potest.

[2] *ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ*, quod frustra G. H. Schaeferus excusare studuit, corrigendum esse in *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ* iam Reiskius vidit, Westermannus comprobavit.

[3] cf. Aeschin. III 13 *ἀρχὰς δὲ φήσουσιν ἐκείνας εἶναι, ἃς οἱ θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ, κἀκείνας, ἃς ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις, στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους καὶ τὰς μετὰ τούτων ἀρχάς.*

tam rationem nova munera capessere non liceret, id ad alterum tantum magistratuum genus pertinet, ad *χειροτονητούς*, cum omnes magistratus sorte creati, qui non diserte nominantur, verbis *καὶ ὅσαι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ* comprehendantur.[1]

Praeterea Westermannus in eo offendit, quod inter archontes et eos qui una cum archontibus sorte creentur diserte inseratur hieromnemon, quem cum annuus fuerit,[2] consentaneum sit eodem quo reliquos magistratus tempore constitutum esse; ceterum auctorem formulae si hieromnemonem honoris vel exempli causa nominare voluisset, deinceps *καὶ ὅσοι ἄλλοι* pergere debuisse. Sed haec omnia auctorem finxisse autumat fortasse ad exemplum loci Aeschinis I, 19 *μηδὲ ἀρξάτω ἀρχὴν μηδεμίαν μηδέποτε, μήτ' ἔνδημον μήτε ὑπερόριον, μήτε κληρωτὴν μήτε χειροτονητήν· μηδὲ κηρυκευσάτω μηδὲ πρεσβευσάτω* ita ut verbis *τῶν ἐννέα ἀρχόντων καὶ ὅσαι μετὰ τῶν ἐννέα ἀρχόντων κυαμεύονται* domesticarum, reliquis verbis exterarum rerum curationem significaret. Hac autem coniectura nimis quaesita ne lucramur quidem quidquam, cum eo minus intellegi possit, qua de causa hieromnemon una cum archontibus memoratus itaque in numerum domesticorum magistratuum receptus sit. Sed nescio an facilior praesto sit ratio, qua hunc potissimum magistratuum delectum esse perspiciamus.

Primo loco archontes penes quos summa rerum publicarum administrandarum erat nominatim proferri consentaneum est, quos ut inde a Clisthenis aetate omnes fere ordinarios Atheniensium magistratus quotannis sorte creatos esse certo constat. Iam H. Sauppius[3] collatis compluribus titulis,[4]

---

[1] cf. C. I. A. I, 32: *ταμίας δὲ ἀποκυαμεύειν τούτων τῶν χρημάτων ὅταμπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς.*

[2] Aristoph. Nub. 619. Aeschin. III, 126—27.

[3] de creatione archontum, Gottingae 1864.

[4] C. I. A. II 859. 862. 863. Monendum quidem est, hos titulos aetate duodecim tribuum scriptos esse, sed in promptu est idem quod instituit Clisthenes in senatu quingentorum omnibusque fere magistratibus in novem archontibus quoque creandis eum secutum esse, neque causa inveniri potest, cur haec ratio postea servetur nisi iam antiquis temporibus instituta sit, ut exposuit Sauppius ibid. p. 24.

in quibus certorum annorum archontes addita demi notione nominantur, Athenis singulos quotannis archontes ex singulis tribubus sorte creatos esse comprobavit: unde sequitur ex certo atque constanti tribuum ordine singulas tribus quovis anno in archontum creatione in censum non venisse. Porro de hieromnemone Attico idem Sauppius in indice schol. Gottg. 1873 p. 11 sq. exposuit, qui Atheniensium unum fuisse hieromnemonem Amphictyonicum eumque sorte quotannis creatum esse[1] ostendit. Iam si reputamus antiquissimum fuisse hieromnemonis munus maximamque habuisse antiquis temporibus dignitatem auctoritatemque, et per se verisimile videtur et nostra iurandi formula maximopere commendatur, ex decima tribu, cuius secundum ordinem in archontum creatione ratio habenda non erat, quotannis hieromnemonem sorte creatum esse. Quam coniecturam ipse Sauppius l. c. proposuit, qui quamquam Westermannum secutus formulam de qua agimus fictam esse persuasum habet, idem tamen, cum eiusmodi sortitionis ratio hoc uno iurisiurandi nitatur loco, ubi artissime archontes et hieromnemon coniunguntur, facere non potest, quin tale quid non finxisse auctorem formulae, sed traditum alicubi invenisse concedat.

Quae cum ita sint, fortasse aliquanto longius progredi possumus ad intellegendam rationem, qua magistratus in formula iuris iurandi nostra nominati in duo genera distincti sint. Etenim priore loco archontes hieromnemonemque tamquam summos omnium civitatis magistratuum ordinariorum sorte captorum merito nominatos esse perspeximus: reliqua, quae nominatim exhibentur munera, *κήρυκα, πρεσβείαν, συνέδρους* apparet esse extraordinaria. Itaque hanc ipsam inter ordinarios atque extraordinarios magistratus distinctionem fieri puto, quae cum usitatiore illo discrimine inter *κληρωτούς* et *χειροτονητούς* eatenus convenit, ut omnes fere magistratus ordinarii *κληρωτοί*, extraordinarii *χειροτονητοί* esse soleant.[2]

Ordinariis igitur magistratibus opponuntur extraordinarii *καὶ κήρυκος καὶ πρεσβείας καὶ συνέδρων*. Quae verba Taylorus

[1] cf. Aristoph. Nub. 623 *ἀνθ' ὧν λαχὼν Ὑπέρβολος — τῆτες ἱερομνημονεῖν*. c. schol.; Aeschin III, 115; 126. Harpocr. s. v. *Πύλαι καὶ Πυλαία*.
[2] cf. Hermann, Staatsaltertümer 148, 10.

atque Reiskius ita acceperunt, quasi κήρυκος notio et ad πρεσβείας et ad συνέδρων pertineret, Schaeferus eadem Atheniensibus quidem fuisse satis clara, nobis clariora futura esse autumat, si legislatori placuisset scribere καὶ κηρυκείας καὶ πρεσβείας καὶ συνεδρείας. Sed utraque sententia repudianda est, cum iam Matthiae[1] rectissime monuerit, verba κήρυξ καὶ πρεσβεία ex certo usu arte inter se coniuncta tanquam unam efficere notionem sollemnem. Veluti Demosth. XIX. 185 καὶ τοῦθ' ὅταν ᾖ κήρυξι καὶ πρεσβείαις προγεγραμμένον. Pollux I, 151 κήρυκα καὶ πρεσβείαν οὐ προσιέμενον. VIII, 96 ἡ δὲ τρίτη (scl. ἐκκλησία) κήρυξι καὶ πρεσβείαις ἀξιοῖ χρηματίζειν. Aeschin. I, 23; ibid. 19; Thucyd. II, 12; V, 80[2], quibus ex locis simul apparet, id quod nostra formula comprobatur, praeconem (κήρυκα) non intellegi apparitorem, quales magistratibus et senatorum iudicumque collegiis praesto erant, sed ipsum legationis principem auctoritate publica instructum.

Denique συνέδρους, quo nomine complurium collegiorum assessores[3] appellatos esse constat, quo iure Schoemannus et Westermannus ad concilium civitatium graecarum contra Persas foederatarum (κοινὸν τῶν Ἑλλήνων συνέδριον) referant haud intellego, cum hanc formulam antiquiore tempore conceptam neque ad certum tempus foederis Graeci referendam esse manifestum sit. Iam cum hoc loco de cuiusvis collegii magistratuum ordinariorum assessoribus cogitari nequeat, quales maxime intellegendi sint hieromnemonis mentio quae praecedit innuit. Nimirum hos synedros pylagoros esse puto, hieromnemonis assessores, quorum terni ad singulas pylaeas suffragiis creari solebant.[4]

---

[1] de iudiciis Atheniensium p. 256.

[2] cf. Hartel, Demosthen. Studien II p. 74 'κήρυκες καὶ πρεσβεῖαι geben zusammen den Begriff der Gesandtschaft'.

[3] v. c. senatus quingentorum Aeschin. III, 20; thesmothetarum Hyperid. or. pro Euxen. XXII, 2 Blass; areopagi Isocr. VII, 37, Lycurg. Leocr. 12; 54; Aeschin. I, 92, III, 19; Dinarch. I, 9. 10. 54. 66. 67; Lucian. Iup. trag. 11; Amphictyonum Aeschin. III, 161, 254 al.

[4] Quamquam vox σύνεδροι in universum ponitur de toto Amphictyonum collegio quod ex hieromnemonibus et pylagoris constabat (Wescher et Foucart inscript. Delph. n. 1, Wescher monum. biling. Delph. p. 185 n. XIII ἔδοξε τοῖς συνέδροις; schol. Aristoph. Nub. 623 κατὰ πόλιν

Quodsi quis miretur quod enumerantur duo genera magistratuum ordinarii *κληρωτοί* et extraordinarii *χειροτονητοί*, omittitur tertium idque satis insigne ordinarii *χειροτονητοί* i. e. strategi, phylarchi, taxiarchi: eius rei causa non longe repetenda est. Nam quod iudices iurant, se neque passuros esse quemquam bis eodem magistratu fungi neque magistratus ratione non reddita alterum magistratum capere, id ad militares magistratus haudquaquam pertinet, quos iterum iterumque creatos esse Cimonis, Periclis, Niciae, Alcibiadis, Phocionis aliorumque exempla satis doceant eosdemque absentes esse refectos scilicet ante rationes redditas ipsa rei ratio probet. Eae igitur condiciones suapte natura non valent nisi de duobus illis qui enumerantur magistratuum ordinibus: de quibus dubium non est quin lege id ipsum cautum fuerit, ne quis eodem magistratu bis neve duobus eodem anno fungatur neve magistratum capiat ratione nondum reddita alterius muneris.

Sed Westermannus non solum in eis quae dicta sunt offendit, sed ex eis quoque quae dicta non sunt in hac formula, fictam eam esse affirmat. Neque enim intellegi, cur spondeant iudices, se non passuros esse quemquam sive ante redditam gesti muneris rationem novum capessere sive bis eodem magistratu sive duobus uno eodemque anno fungi, non spondeant, se non passuros esse quemquam fieri magistratum, qui sive parentibus debitam pietatem denegaverit sive deos patrios non coluerit sive stipendia legitima non fecerit sive tributa civilia non pependerit sive debitum aerario non persolverit sive turpiter improbeque vixerit, quae omnia in magistratuum probatione exploranda iudicibus fuisse testes esse Dinarchum II, 17, Aeschinem I, 19 aliosque.[1] Praeterea cum

δ' ἔπεμπον τοὺς θύσοντας καὶ συνεδρεύσοντας καὶ ἦσαν οἱ πεμπόμενοι πυλαγόραι καὶ ἱερομνήμονες. Aesch. III, 161. 254 *τὸ τῶν Ἑλλήνων συνέδριον* — nam decreta Amphictyonum ap. Demosth. XVIII, 154 sq. spuria sunt): tamen ea notio proprie videtur pertinere ad eos, qui in consilio erant hieromnemonibus, pylagoros (cf. Sauppe l. c. p. 14. 15). — *σύνεδροι Βυζαντίων* legati dici videntur in indice pecuniarum ad bellum sacrum (a. 354—346) collatarum *Ἀθήν.* III, 479 v. 11. 24.

[1] de archontum probatione cf. Poll. VIII, 85.

omnino iudices singulas muneris partes recte se executuros esse iurasse dicantur, requiri ut de legibus quoque ab heliastis approbandis, de pactis et conventis cum exteris civitatibus sanciendis, de iudiciis paganorum in diapsephisi, de multis a magistratibus impositis, denique post probationem magistratuum de rationibus quoque munerum reddendis (εὐθύναις) in ipsa iurandi formula mentio fiat.

Atqui neque omnia omnino munera, quae heliastis lege tributa erant, in eorum iureiurando proferri oportere consentaneum est et facile intellegitur ea quae nominatim exhibentur insigniter quadrare ad iurisiurandi quale descripsimus consilium ac rationem. Certe haec non minus quam priora ad statum reipublicae a singulorum praepotentia defendendum pertinent. Nam si quis nulla prioris magistratus ratione reddita novum inibat, eum ipsum hoc modo maiorem vim auctoritatemque sibi vindicare apparet, quam quae in libera republica tolerari posset: item qui magistratus sive iterat sive cumulat, videri potest ampliorem usurpare potentiam liberae reipublicae institutis periculosam. Contra quae Westermannus desiderat in hunc sententiarum ordinem omnino non cadunt; neque enim in parentibus non ea qua par est pietate cultis vel in vitae morumque improbitate saluti liberae rei publicae positum esse periculum quisquam affirmabit. Porro legum lationi iudicum νομοθετῶν satis erat provisum, cum in universum iurassent iudices, se omnia procul habituros atque vindicaturos, quibus libera respublica in periculum adduceretur. Ex certa igitur quae in nostra formula exhibetur et magistratuum et rerum mentione tantum abest ut eam fictam esse concedamus, ut ipsa antiquioris rationis liberae reipublicae Atheniensium vestigia agnoscamus.

Sequuntur haec: *οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ οὔτ' ἄλλη εἰδότος ἐμοῦ, οὔτε τέχνῃ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ.*

His quidem verbis et seqq. iam ea iurisiurandi pars continetur, quae ad ipsum iudiciale munus heliastarum pertinet, unde diserte adduntur verba *τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα.*

Westermannus quam maxime offendit in illis *οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ οὔτ' ἄλλη εἰδότος ἐμοῦ*: quae verba ne recepta

quidem lectione ἄλλοι pro ἄλλη, quam praebet unus codex Parisinus Coislinianus probat Schellingius aliique, sensum aptum praestitura sint. Nam si qui ἄλλοι de iudicibus accipiunt, ut unus quisque iurare dicatur se neque ipsum dona accepturum neque alios iudices corrumpi passurum: mira esset ea structura pro eo quod exspectatur οὔτ' ἄλλον (ἄλλους) ἐάσω, recteque Westermannus negavit fieri posse, ut ἄλλος alium quemvis omnino, ἄλλοι quod sequitur solos iudices significet. Verum falsario relinquendum esse et supervacaneum illud, immo satis inconsiderate prolatum οὔτ' ἄλλος ἐμοί et ineptam putidamque utriusque sexus distinctionem οὔτ' ἄλλη εἰδότος ἐμοῦ: quam quidem scholiasta quoque agnoscit vol. IX p. 792 Dind. ed. Ox. ἔστι γὰρ πολλάκις μὲν αὐτὸν μὴ λαμβάνειν τινὰ διὰ τὸν ὅρκον, ὑποβάλλειν δὲ ἢ ἄνδρα ἢ γυναῖκα λαμβάνειν ὑπὲρ αὐτοῦ ἢ δι' ἄλλης τέχνης ἢ μηχανῆς.

Qua in re egregie fallitur vir sagacissimus. Nam genuinam formulam et vere Atticam esse inde probatur quod eiusdem ope in titulo Myrrhinusiorum mutilo C. I. A. II 578 euthyni iusiurandum ad verbum supplere licet: οὐδὲ δῶρα δέξομαι — — οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔ]τ[ε] ἄ[λ]λος ἐμοὶ οὐ[δὲ ἄ]λλ[η] εἰδότος ἐμο[ῦ κτλ., de quo titulo plura infra dabuntur. Ceterum cum utrumque verbum et ἐμοί et εἰδότος ἐμοῦ referendum sit et ad ἄλλος et ad ἄλλη et in inscriptione supplendum et in nostra formula scribendum puto οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ οὐδ' (pro οὔτ') ἄλλη εἰδότος ἐμοῦ. Similis sententia paulo aliter exprimitur in titulo Calymnensi quem nuper edidit Newton in Mus. Brit. inscr. graecis II n. 299[a], ubi iudices delecti iurant οὐδὲ δῶρα ἔλαβον τᾶς δίκας ταύτας ἕ[νεκεν ο]ὔτε αὐτὸς ἐγὼ οὔτε ἄλ(λ)ος οὔτε ἄλλα ἐμὶ[ν μαχανᾷ οὐδ]εμιᾷ.[1] Vides quibus ex argutiis manum im-

[1] Sollemnis clausula οὔτε τέχνῃ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ nota est: cf. Thuc. V, 47; C. I. A. II, 92. IV, 27[a]; unum τέχνῃ οὐδεμιᾷ II, 160. οὔτε τρόπῳ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ C. I. G. 3137.

Ceterum cf. etiam in archontum iurisiurandi formula καὶ μὴ δωροδοκήσειν Pollux VIII, 86, καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι Heraclid. π. πολιτ. V 15; de iure iurando curialis coram iudicibus Aesch. I, 114 καὶ ὀμόσας μὴ λαβεῖν δῶρα μηδὲ λήψεσθαι καὶ ἐπομόσας τοὺς ὁρκίους θεοὺς καὶ ἐξώλειαν αὑτῷ ἐπαρασάμενος, in strategorum formula Dinarch. III, 2.

postoris Westermannus agnoscere sibi videbatur, eas proprias esse sermonis forensis Graecorum.

Maiore iure idem offendere videtur in verbis quae sequuntur *καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη* et alieno loco importune insertis et omnino a iureiurando iudicum alienis.

Nam quae Pollux habet VIII, 122 *ἐδίκαζον οἱ ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη ἐκ τῶν ἐπιτίμων καὶ μὴ ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ* (quae ex parte confirmat Demosth. XXI, 182. XXIV, 123) „eiusmodi sunt, ut ab eis quibus iudicum constituendorum negotium commissum erat ante ipsam sortitionem debuerint explorari, neque ad sortiendum probabile est admissum quemquam esse nisi quem trigesimum aetatis annum superasse neque capite deminutum sive fiscalem debitorem esse constaret“. Quis igitur probabile ducat unam illam condicionem quae ad aetatem pertinet in iurandi formula esse repetitam? Quae vel ideo reicienda videtur, quia sola in hac formula non ad officium tempore futuro praestandum spectat, sed certam rem et aliunde facile probandam affirmat. Consentaneum enim est in sacramento quo homines munus novum subituri adiguntur ea maxime contineri quibus polliceantur illi se recte et ordine muneris officia esse executuros: idque confirmatur magna multitudine formularum sacramenti quae servantur.[1]

Quamquam non nego esse ubi etiam rei actae in sacramento mentio iure fiat: si quando de re agitur in qua difficilis sit probatio, cuius vicem agit sollemnis declaratio. Cuius generis exemplum modo attuli ex titulo Calymnensi: alterum praestat inscriptio de mysteriis Andaniae celebrandis (Dittenberger Sylloge inscr. Graec. 388 v. 9) ubi mulieribus praecipitur iusiurandum: *πεποίημαι δὲ καὶ ποτὶ τὸν ἄνδρα τὰν συμβίωσιν ὁσίως καὶ δικαίως.*[2] Quod de nostra formula non valet:

[1] cf. formulas iurisiurandi civium Atticorum omnium Andoc. I, 90 sq., et de quibus infra disputabitur senatorum, archontum, strategorum, epheborum, demi curatorum cet., praeterea formulas foederibus insertas C. I. A. I 9. 11. 13. IV 27a. II 92; I 33. 52. IV 33a. 46b. II 140. 333. 549b; Thuc. V 18. 47. Xen. Hell. VI 5, 1. Lyc. Leocr. § 81 etc.

[2] Diversa ratio est eius sacramenti quod magistratus Romani munere se abdicaturi iurare solebant se nihil contra leges fecisse: qualis

certe hoc quidem loco inter promissa temere intrudi eiusmodi affirmationem eamque nude positam quivis sentiet. Equidem haec verba pro glossemate habeo: quo sublato quae sequuntur apte conveniunt eis quae praecedunt.

Quae sequuntur verba *καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ἡ δίωξις ᾖ* nec cuiquam suspecta esse possunt et eadem aliis locis leguntur. Isocr. XV, 21 *ἀλλ' ὀμνύναι μὲν καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν ἦ μὴν ὁμοίως ἀκροάσεσθαι τῶν κατηγορούντων καὶ τῶν ἀπολογουμένων.* Aesch. I 154 *ὑμεῖς δὲ τί ὀμωμόκατε; ὑπὲρ αὐτῶν ψηφιεῖσθαι ὧν ἂν ἡ δίωξις ᾖ.* cf. 170. II, 1. Dem. XVIII 2. 6. XLV 50 *δικάσειν γὰρ ὀμωμόκατε ὑμεῖς οὐ περὶ ὧν ἂν ὁ φεύγων ἀξιοῖ, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῶν ὧν ἂν ἡ δίωξις ᾖ*[1]. Lucian. de calumnia c. 8.

In uno autem verbo *διαψηφιοῦμαι* Westermannus et Fraenkelius offenderunt, quod falso pro *ψηφιοῦμαι* dictum esse affirmant; nam *διά* praepositione, ut in verbis *διαχειροτονεῖν, διαδικάζεσθαι, διαμαρτυρεῖν* semper exprimi, optionem fieri atque potestatem in diversas partes discedendi ideoque consentaneum esse non usurpari posse vocabulum *διαψηφίζομαι*, ubi unus tantum ferret suffragium. Et re vera in exemplis, quae attulit Westermannus, maxime ubi de *διαψηφίσει τῶν δημοτῶν* agitur, cuius rei *διαψήφισις* et *διαψηφίζομαι* verba propria sunt,[2] pluralis numerus adhiberi solet: sed cum ipsa suffragii natura fere semper multitudinem hominum qui decernant flagitet, haec exempla num persuadendi habeant necessitatem magnopere dubito. Ipse Westermannus Platonis locum notavit Legg. XI, 937ᵃ *ἐὰν δέ τίς τινα δικάζοντα ἀναστήσηται μάρτυρα, μαρτυρήσας μὴ διαψηφιζέσθω περὶ*

---

usus ne a Graecis quidem alienus est. Cf. Le Bas 1754 = Cauer Delectus inscr. (1 ed.) 19. Mitteilungen des archaeol. Inst. in Athen VII 76.

Denique omnino huc non pertinet id iurisiurandi genus quo in iure iudiciove aut testes aut ipsi litigantes obstringuntur, quod pro documento est (de quo cf. Philippi Der Areopag und die Epheten p. 80. 87. 93).

[1] Similiter in Amphictyonum sacramento C. I. A. II 545 *καὶ ἕτερα ἀνὰ τὰν δίκαν οὐ — — οὐδέποκα.*

[2] cf. imprimis Demosth. or. LVII in Eubul.

ταύτης τῆς δίκης. Neque alienum esse videtur inquirere in usum alterius vocabuli διαχειροτονεῖν, in quo eandem praepositionis διά vim recte Westermannus agnovit. In C. I. A. I 40 initio praecipitur δι[α]χειροτονῆσαι τὸν δῆμον αὐτίκ[α πρὸς Μ]εθωναίους εἴτε φόρον δοκεῖ τάττειν τὸν δῆμο[ν αὐτίκ]α μάλα ἢ ἐξαρκεῖν αὐτοῖς τελεῖν ὅσον τῇ θε[ῷ ἀπὸ τ]οῦ φόρου ἐγίγνετο κτλ. Sequitur in fine eiusdem decreti ἐχειροτόνησεν ὁ δῆμος [Μεθωναίου]ς τελεῖν [ὅσο]ν τῇ θεῷ ἀπὸ τοῦ φόρου ἐγίγνε[το — — —: ut primo loco διαχειροτονῆσαι dicatur, cum adhuc incertum sit, utram in partem suffragia laturi sint cives, altero ἐχειροτόνησεν, quod ex maiore suffragiorum parte iam explorata res est.[1] Vides satis subtile esse inter haec duo vocabula discrimen ita accipiendum, ut διαχειροτονεῖν dicatur antequam suffragia lata sint, χειροτονεῖν in re certa suffragiis explorata[2].

Similis igitur est ratio verborum διαψηφίζομαι et ψηφίζομαι, quorum illo hoc potissimum significatur, liberam esse in alterutram partem discedendi potestatem. Neque iniuria ad Thuc. IV, 74 ἐξελέξαντο — — ἄνδρας ὡς ἑκατόν, καὶ τούτων πέρι ἀναγκάσαντες τὸν δῆμον ψῆφον φανερὰν διενεγκεῖν, ὡς κατεγνώσθησαν, ἔκτειναν Classenus notat illud διενεγκεῖν ironice dictum esse, quasi in his suffragiis aperte ferendis diversae sententiae ferrentur. Poterat igitur vox διαψηφίζομαι etiam de uno homine adhiberi, cui quidem libera fuerit optio in alteramutram partem discedendi. Ceterum cum singuli heliastae binas tabellas vel suffragia (ψήφους) haberent duaeque essent amphorae (κάδοι), ita ut in una quaque causa in duas partes ferrent suffragia, fieri etiam potest, ut ad hanc suffragii ferendi rationem notio verbi διαψηφίζομαι referenda

---

[1] cf. etiam Demosth. LIX, 4 λέγων διαχειροτονῆσαι τὸν δῆμον εἴτε δοκεῖ τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως στρατιωτικὰ εἶναι εἴτε θεωρικά κτλ.

[2] De διαδικάζειν cf. Plat. polit. X 614 c δικαστὰς δὲ μεταξὺ τούτων καθῆσθαι, οὓς ἐπειδὴ διαδικάσειαν, τοὺς μὲν δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν — — σημεῖα περιάψαντας τῶν δεδικασμένων ἐν τῷ πρόσθεν, τοὺς δὲ ἀδίκους τὴν εἰς ἀριστεράν κτλ. Phaed. 113 d ἐπειδὰν ἀφίκωνται οἱ τετελευτηκότες εἰς τὸν τόπον οἷ ὁ δαίμων ἕκαστον κομίζει, πρῶτον μὲν διεδικάσαντο οἵ τε καλῶς καὶ ὁσίως βιώσαντες καὶ οἱ μή. Legg. XI, 926 c πρὸς οὓς ἐπανιόντες διαδικαζέσθων οἱ περί τινος τῶν τοιούτων ἀμφισβητοῦντες, κύρια τελοῦντες τὰ τούτων δόγματα.

sit.[1] Certe nihil miri habet auctorem nostrae formulae in sollemne iusiurandum rariorem quidem, sed eandem satis perspicuam vocem διαψηφίζομαι recepisse.

Denique quod Westermannus putat haec verba nimis longo intervallo separata esse a primis iurisiurandi verbis, quae pariter ad iudicandi munus spectarent, refutatur iam haec sententia, si recte probavimus prima illa verba non tam ad heliastarum munus quod in solo iudicio versabatur referenda esse, quam ad communia civium officia reipublicae defendendae.

Sed hoc loco denuo in memoriam revocemus verba περὶ δὲ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ (ψηφιοῦμαι vel δικάσω), quae in hac heliastarum iurandi formula locum habuisse intelleximus. Quae Westermannus et Fraenkelius continuo post ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων addita requirunt, nos cum ad peculiare pertineant heliastarum iudiciale munus, cuius hic demum mentio fit, post καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ἡ δίωξις ᾖ reponenda esse putamus, id est in ipsius formulae clausula. Ita enim aptissime iurare videntur iudices, se utramque partem pariter audituros neque nisi de ipsa causa diiudicaturos esse: quodsi qua in causa certae leges non sint, se optima fide esse iudicaturos. Qui sententiarum ordo accuratius ipsius actionis in iudicio respondet ordini atque ipse iterum probare videtur heliastarum iusiurandum non solum iudicii officium spectasse: absque quo esset, ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου κτλ. quod ex ipsa rei natura illud ψηφιοῦμαι praecedit, etiam ante prius illud ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους κτλ. locum habere debebat neque intellegeretur qua de causa in una eademque formula idem illud verbum ψηφίζομαι iteraretur.[2]

---

[1] cf. de ea re Poll. VIII, 123; Schol. Aristoph. Eq. 1115; Schol. Aristoph. Vesp. 987; Hermann, Staatsaltertümer 143, 2. 3.

[2] Fraenkelius p. 457. 464 post γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ verba καὶ οὔτε χάριτος ἕνεκ' οὔτ' ἔχθρας addi voluit ex formula iurisiurandi demotarum (Dem. LVII, 63) quam ex heliastarum sacramento expressam esse A. Schaeferus Dem. III 258 n. 7 monet. Quamquam id in universum potius

Quae sequuntur non ad ipsam iurisiurandi formulam pertinent sed legis de heliastarum iureiurando instituendo sunt verba. Sunt autem haec *ἐπομνύναι Δία Ποσειδῶ Δήμητρα, καὶ ἐπαρᾶσθαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοι, εὐορκοῦντι δὲ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι*[1]. Infinitivum *ἐπομνύναι* recte Bekkerus restituit, quem requirunt verba *ἐπαρᾶσθαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ* atque *παραβαίνοι*. Qua forma recepta in reliquis nihil video, in quo offendi possit. Nam quod iam Schaeferus suspicatus et ex inscriptionum titulis nonnullisque scriptorum locis facile probatur non semper has exsecrationum formulas ipsius iurisiurandi particulas efficere, sed nonnunquam extra ipsam iurandi formulam sive ante eam sive post eam addi per decretum. cf. C. I. A. I, 2: '*καὶ τὰ κοιν[ὰ] τῶν Σκαμβωνιδῶν σωῶ καὶ ἀποδώσω παρὰ τὸν εὔθυνον τὸ καθῆκον*'. *ταῦτα ἐπομνύνα[ι] τοὺς τρεῖ[ς] θεούς*. C. I. A. I, 9 *[τῶ]μ βουλευσόντων ἕκαστον Ἐρύθρασι — — — — ὀμνύναι [μὲν Δ]ία καὶ Ἀπόλλω καὶ Δήμητ[ρα] ἐπαρώμενο[ν ἐξώ]λειαν ἑα[υτῷ ἐπιορκοῦντι κ]αὶ παισὶν ἑαυτοῦ — ὀμνύναι δὲ τάδε τὴν βουλήν· 'βουλεύσω ὡς ἂν δύνωμαι ἄριστα κτλ.'* Andoc. I 97. 98 *ὁ δὲ ὅρκος ἔστω ὅδε· 'κτενῶ — λύω καὶ ἀφίημι'· ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες — καὶ ἐπεύχεσθαι εὐορκοῦντι μὲν εἶναι πολλὰ καὶ ἀγαθά, ἐπιορκοῦντα δ' ἐξώλη αὐτὸν εἶναι καὶ γένος.*

Atque extitisse sollemnem hanc execrationem in heliastarum sacramento ut in plerisque iurisiurandi formulis[2] apparet ex Andoc. I, 31: *οἵτινες ὅρκους μεγάλους ὀμόσαντες οἴσετε τὴν ψῆφον περὶ ἐμοῦ, καὶ ἀρασάμενοι τὰς μεγίστας ἀρὰς ὑμῖν τε αὐτοῖς καὶ παισὶ τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν*[3]. Quod vero Fraenkelius reprehendit preces sollemnes *εὐορκοῦντι δὲ πολλὰ*

---

valet quam de singulis verbis: certe illa verba quibus careri posse ipse Fraenkelius sensit (p. 463) cum apud oratores nusquam ex iudicum iureiurando citentur, in formula nostra non est cur addamus.

[1] *ἐπόμνυμι* Σ, *ἐπόμνυμαι* August. prim., *ὄμνυμι* Bavaricus. In fine *καλὰ καὶ ἀγαθὰ* Σ. Sed cf. C. I. A. I, 13. II, 49[b]. 140. 578. Andoc. I 98 al.: qua de re cf. Westerm. III p. 14.

[2] cf. quae collegit Fraenkelius l. c. p. 461.

[3] cf. Dem. XXI 119.

καὶ ἀγαθά perverse post execrationem, non ante eandem scriptas esse, certe eum fugit C. I. A. I, 13 v. 20—21 — — *καὶ εἰ μέν τι τούτων] παραβαίνοιμ[ι ἐξώλης εἴην καὶ αὐτὸς καὶ γέ]νος τὸ ἐμόν, [εἰ δὲ — — — εἴη μ]οι πολλὰ καὶ ἀγαθά,* qui titulus quamvis mutilatus luce clarius probat, posse preces post execrationem proferri.

Maior offensio est in deorum nominibus. Libri praebent *Δία Ποσειδῶ Δήμητρα,* quam lectionem firmat schol. Venet. B ad Il. XV, 36 *διὰ τριῶν δὲ ἦν ἔθος ὀμνύναι, ὡς Δράκων ἔταξε, Δία Ποσειδῶνα Ἀθηνᾶν· οἱ δὲ Δία Ποσειδῶνα Δήμητραν, ὡς Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους.* Contra apud Pollucem legimus iudices iurasse per Iovem Apollinem Cererem VIII, 122 *ὤμνυσαν δὲ ἐν Ἀρδηττῷ δικαστηρίῳ* (sic) *Ἀπόλλω πατρῷον καὶ Δήμητρα καὶ Δία βασιλέα* (rectius *Δία ὅρκειον*), cuius testimonium comprobant loci hi: schol. Aesch. I, 114 *ἐπομόσας τοὺς ὁρκίους θεούς: Ἀπόλλωνα πατρῷον καὶ Δήμητραν καὶ Δία, ὥς φησι Δείναρχος ὁ ῥήτωρ.* Demosth. LII, 9 *καὶ μὰ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα, οὐ ψεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί.* Aristoph. Eq. 941 *εὖ γε, νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα.* Itaque Westermannus et Fraenkelius formulae auctorem errore Neptunum pro Apolline substituisse statuunt; Meinekius (Philol. XV p. 138) per librarii errorem ex *ΔΙΑΠΟ*^{λλ} compendio male intellecto *Ποσειδῶ* pro *Ἀπόλλω* in archetypo codicum nostrorum scriptum esse putat, quemadmodum in Lexico rhetorico Bekkeri p. 443 s. v. *Ἄρδηττος* in eadem re significanda *ἐν τούτῳ δὴ τῷ χωρίῳ ὤμνυον οἱ δικασταὶ τὸν δικαστικὸν ὅρκον. τρεῖς δὲ θεοὺς ὤμνυον Δία Δήμητραν καὶ Ἥλιον,* corruptione frequenti ex compendio oriunda *Ἥλιον* scriptum est pro *Ἀπόλλω* (non propter heliastarum mentionem, ut Westermannus et Fraenkelius sumunt). Cui Meinekii opinioni non video quo iure Fraenkelius testimonium scholiastae Iliadis quod supra citavi opponat: quem dudum corruptam archetypi lectionem sequi nullo negotio statuas. Quamquam paullo altiore indagatione res indiget.

Atque quin sollemne fuerit Atheniensium iusiurandum per tres deos *ὁρκίους* Iovem Apollinem Cererem, de eo dubitari nequit ex exemplis certis: qua de re exposuit R. Schoell

de synegoris Att. p. 30 n. 1. Unde etiam pactiones quae publice fiunt cum civitatibus sociis sacramentis per tres illos deos datis non solum ab Atheniensibus sed etiam a socia civitate dandis confirmantur. cf. C. I. A. II 49^b in Atheniensium iurisiurandi formula *[νὴ τὸν] Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω [καὶ τὴν Δήμητρα]*, in Corcyraeorum *να[ὶ τ]ὸν Δία [κα]ὶ [τὸν Ἀπόλλωνα καὶ τὰν Δάμ]ατρα*; ib. I 9 Erythraeorum senatoribus praecipitur *ὀμνύναι μὲν Δία καὶ Ἀπόλλω καὶ Δήμητρα*, idemque Colophoniis I 13[1]. Pariter demorum curatores per eosdem deos iurare iubentur, velut euthynus in Myrrhinusiorum scito C. I. A. II 578 *[νὴ τ]ὸν Δία νὴ τ[ὸν Ἀ]πόλλω ν[ὴ] τὴ[ν Δ]ήμητρα* (cf. Schoell l. c.): unde explicari facile dixeris in Scambonidarum scito C. I. A. I 2 verba *ταῦτα ὀμνύναι τοὺς τρεῖς θεούς*.

Quamquam id ipsum iam addubitari potest. Nuper enim in lucem prodiit Aexonensium decretum a Lollingio[2] editum: ubi quod demarcho praecipitur iusiurandum hanc habet clausulam *ἀληθῆ ταῦτα [νὴ] τὸν Δία νὴ τὸν Πο[σε]ιδῶ νὴ τὴν Δήμητ[ρα], εὐορκοῦντι μέμ [μοι] εἶναι πολλὰ καὶ [ἀγαθά], εἰ δ' ἐπιορκοί[ην τὰ ἐν]αντία.* Vides quod inepte fictum in nostra formula putabatur, iam certissimo testimonio comprobari Neptuno quoque inter tres deos *ὁρκίους* suum fuisse locum. Itaque de librarii errore in formula apud Demosthenem servata cogitari nequit cum Meinekio: interpolatorem autem tantopere peritum rerum Atticarum quis facile fingat? Verum inde non minuitur, sed augetur difficultas, cum tot auctoribus Apollinem una cum Iove et Cerere exhiberi testantibus fidem denegare vix liceat. Quam dubi-

---

[1] Diversa res est in foederibus cum Cetriporide (C. I. A. II 66^b) et Lacedaemoniis (II 333) ictis: illic Atheniensium formula est *[ὄμνυμι νὴ τὸν Δία] καὶ Ἥλιον καὶ Ποσει[δ]ῶ καὶ Ἀθηνᾶν καὶ [Ἄρην, φίλος ἔσομαι] Κετριπόρι*, hic iubentur *ὀμόσαι — — — —]ν Ἥλιον Ἄρη Ἀθηνᾶν Ἀρε[ίαν — —*. Ex pacto scilicet dei eliguntur regi populove foederato inprimis accepti: cf. Polyb. VII, 9 in foedere Carthaginiensium cum Philippo Macedonum rege. — Ceterum C. I. A. IV 22^b Phocensium dei intellegendi sunt in Phocensium formula sacramenti Apollo Latona Diana; eidem ab Amphictyonibus appellantur C. I. A. II 545.

[2] Mitteil. d. arch. Inst. in Athen IV 1879 p. 201.

tationem nescio an ita apte dirimamus, ut primitus Neptuni nomen, cui quidem Draco in deorum triade locum tribuisse fertur (schol. Il. l. c.), in iudicum iureiurando non aliter atque in demotico illo extitisse dicamus, posteriore demum aetate licet satis antiqua ut alibi ita apud Athenienses Neptuni religionem cessisse Apollinis: indeque factum esse, ut utriusque nominis in iureiurando vestigia servarentur.

Appendicis loco addam verba iurisiurandi, quo iudices post triginta virorum imperium ad omnium rerum praeteritarum oblivionem sanciendam mense Boëdromionis a. 403 adactos esse testis est Andocides I, 91. Sunt autem haec: *καὶ οὐ μνησικακήσω οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους.* Quae ab Andocide transposita atque in brevius contracta videri, certe qualia ab eo traduntur nostrae formulae inseri non posse Fraenkelius p. 464 intellexit. Nec nisi per paucos annos eius modi formulam adiectam fuisse iuriiurando annuo consentaneum est.

II.

DE EPHEBORUM IUREIURANDO.

Epheborum Atticorum iurisiurandi formula duobus locis traditur, Pollucis VIII, 105 sq. et Stobaei florilegii tit. 43 (40) n. 48 (tom. II p. 110 Gaisf.): qui quidem eundem fere sententiarum praebent ordinem, nonnullis autem verbis inter se discrepant, ut vix verisimile videatur, utrumque eundem secutum esse auctorem. Praeterea cum aliis quoque locis pauca extent huius formulae fragmenta vel vestigia, maxime in Plutarchi vita Alcibiadis c. 15 unde effici videatur exti-

tisse quae in iurandi formula nobis tradita desiderentur, Cobet, Baehr, Dumont[1] hanc formulam aut totam fictam aut non integram memoriae traditam esse arbitrati sunt. Quod priusquam diiudicem ipsas formulas exscribam quales Pollux et Stobaeus tradiderunt.

Legimus autem apud Pollucem:	apud Stobaeum:
οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα	οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερὰ
οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ᾧ ἂν στοιχῶ,	οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ὅτῳ ἂν στοιχήσω,
ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὁσίων	ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων
καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν,	καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν,
καὶ τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω,	τὴν δὲ πατρίδα οὐκ ἐλάσσω (leg. ἐλάττω) παραδώσω,
πλεύσω δὲ καὶ καταρόσω ὁπόσην ἂν παραδέξωμαι. καὶ συνήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων	πλείω δὲ καὶ ἀρείω ὅσην ἂν παραδέξωμαι. καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως
καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι	καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι
καὶ οὕστινας ἄλλους ἱδρύσεται τὸ πλῆθος ἐμφρόνως.	καὶ οὕςτινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως·
καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων·	καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων·

[1] Cobet nov. lect. p. 323 'is qui hanc iurisiurandi formulam de suo finxit'

Baehr in adnot. edit. Plut. Alcib. c. 15 pag. 142—44 'neque vero cuncta — — a Polluce esse servata neque haec ipsa quae habet accurate relata'; ibid.: 'a Polluce statuerim non integram formulam proditam fuisse, sed eandem nonnullis hic inde detractis in compendium redactam'.

Dumont, essai sur l'éphebie Attique p. 11: 'le serment n'est pas complet'.

apud Pollucem:	apud Stobaeum:
καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω·	καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω·
ἵστορες θεοὶ Ἄγραυλος Ἐνυάλιος Ἄρης Ζεὺς Θαλλὼ Αὐξὼ Ἡγεμόνη.	ἵστορες θεοὶ τούτων.

Atque in hac formula duae partes facile discernuntur, quarum prior inde ab initio usque ad verba *καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων* strenui potissimum militis, altera inde ab *καὶ τοῖς θεσμοῖς* usque ad deorum invocationem boni civis complectitur officia. Illam autem partem priorem obtinere locum consentaneum est, cum imprimis militare sit iusiurandum: adulescentes enim qui duodeviginti annos nati in ephebis erant, in tabulas lexiarchicas relati prima stipendia facere solebant in finibus terrae Atticae circuitorum (*περιπόλων*) officiis functi: quo facilius explicatur, quod ceteris locis ubi epheborum iurisiurandi fit mentio, eae tantum formulae particulae traduntur, quae ad militare epheborum munus spectant.

Sed iam singula videamus. *Οὐ καταισχυνῶ ὅπλα τὰ ἱερὰ οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ὅτῳ ἂν στοιχήσω, ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν* (Stob.) iisdem fere verbis leguntur in Lycurgi Leocratea § 76 *ὑμῖν γὰρ ἔστιν ὅρκος, ὃν ὀμνύουσι πάντες οἱ πολῖται, ἐπειδὰν εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφῶσι καὶ ἔφηβοι γένωνται, μήτε τὰ ἱερὰ ὅπλα καταισχυνεῖν μήτε τὴν τάξιν λείψειν·* ibid. § 77 *καίτοι πῶς ἂν ἄνθρωπος γένοιτο ἀνοσιώτερος ἢ μᾶλλον προδότης τῆς πατρίδος; τίνα δ' ἂν τρόπον ὅπλα καταισχύνειέ τις μᾶλλον, ἢ εἰ λαβεῖν μὴ θέλει καὶ τοὺς πολεμίους ἀμύνασθαι; πῶς δ' οὐ καὶ τὸν παραστάτην καὶ τὴν τάξιν λέλοιπεν ὁ μηδὲ τάξαι τὸ σῶμα παρα-*

De ephebis Atticis eorumque iureiurando cf. Boeckh, Gesammelte kleine Schriften IV p. 144 sq. Hermann, antiq. iur. publ. § 121, Heinrichs de ephebia Attica Berol. 1851. Dittenberger de ephebis Atticis. Gött. 1863. Dumont essai sur l'éphebie attique, Paris. 1876. Pauca attigerunt Voemel et Petersen Zeitschrift f. Altertumswissenschaft 1846. Forchhammer die Athener und Sokrates p. 76. Stojentin de Iulii Pollucis in publ. Ath. antiquitatibus enarrandis auctoritate. Vratislav, 1875.

σχών; ποῦ δ' ὑπὲρ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἤμυνεν ἂν ὁ μηδένα κίνδυνον ὑπομείνας; Vides ex Lycurgi loco quin genuina sint illa verba omnino dubitari non posse. Duobus aliis locis non tam citatur haec formula quam argumentum perstringitur Philostr. vita Apollon. IV, 21 *οἱ νέοι, τὸ ἐφηβικόν, οἳ πάλαι μὲν ὤμνυσαν ἐς Ἀγραύλου φοιτῶντες ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανεῖσθαι καὶ ὅπλα στήσεσθαι,* et Schol. Demosth. p. 391 (ad Demosth. XIX 303) *οἱ ἐξιόντες εἰς τοὺς ἐφήβους ἐκ παίδων μετὰ πανοπλιῶν ὤμνυον ὑπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς θρεψαμένης* (i. e. *τῆς πατρίδος*).

In quibus autem discrepant Pollux et Stobaeus, certo rectius hunc secuti *τὰ ὅπλα τὰ ἱερά* scribemus, quamquam verba *τὰ ἱερά* Dittenberger uncis inclusit. Nam et a Lycurgo confirmatur locutio *τὰ ἱερὰ ὅπλα καταισχυνεῖν* et plane consentaneum esse videtur, arma appellari sacra, quae ex sollemni ritu a populo ephebis data esse testis est Harpocration s. v. *περίπολος: τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν, ἐκκλησίας ἐν τῷ θεάτρῳ γεγενημένης, ἀποδειξάμενοι* (sic pro *ἀποδεξάμενοι* vulgato Dittenberger l. c. p. 12 adn.) *τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις καὶ λαβόντες ἀσπίδα καὶ δόρυ παρὰ τοῦ δήμου περιπολοῦσι τὴν χώραν καὶ διατρίβουσιν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις.*

Deinde quod apud Pollucem legimus *οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην ᾧ ἂν στοιχῶ,* apud Stobaeum *ὅτῳ ἂν στοιχήσω,* hanc utpote selectiorem recipiendam esse puto lectionem. Ambiguum autem esse possit, utrum *στοιχήσω* an *στοιχῶ* praeferendum sit; cf. locum Andocideum I, 97 et C. I. A. IV, 27, II, 49b alios, ubi saepius *βοηθήσω — καθότι ἂν ἐπαγγέλλωσι* similiaque legimus. Sed cum Stobaeus rectius illud *ὅτῳ* idemque infra *οὕστινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται* praebeat, hoc quoque loco *στοιχήσω* retinebimus. Eadem valebit ratio de repetito *ὑπέρ* in verbis *ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων* (vide Dumont l. c. p. 9) quod ab antiqua huiusce modi formula minime alienum recipiendum erit, si quidem exploratum habebimus, totam formulam qualis extet in Stobaei florilegio esse integriorem.

Sequuntur autem haec: *τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω ὅσην ἂν παραδέξωμαι.* In priore huius enuntiati parte Stobaeus et Pollux inter se congruunt,

quamquam nescio an rectius tradiderit Pollux *καὶ τὴν πατρίδα κτλ.*, certe omnibus Atticis iurandi formulis collatis novas sententias nusquam per coniunctionem *δέ*, sed semper per *καί* aut per *καὶ οὐκ* vel *οὐδέ* addi observavi. In altera autem parte sine dubio corrupta sunt Pollucis illa *πλεύσω δὲ καὶ καταρόσω*. Nam neque *πλεύσω* habet quo referatur et omnino tota haec verborum diversissimorum coniunctio absurda est. Neque enim recte Forchhammerum secuti, qui haec verba aptissimum in epheborum iureiurando censet habere locum, *καταρόσω* in *κατερέσω* mutabimus, ut ad *ὁπόσην* suppleatur *ὁδόν*, quo augetur difficultas, cum neque eadem sententia per *πλεύσω* et *κατερέσω*, quod verbum nusquam invenitur, exprimi neque omnino *ὁδὸν παραδέχομαι* recte dici possit. Verum Stobaei illa lectio *πλείω δὲ καὶ ἀρείω*[1] *ὅσην ἂν παραδέξωμαι* dilucide confirmatur Lycurgi verbis in Leocr. § 76 *ἀμυνεῖν δὲ τῇ πατρίδι καὶ ἀμείνω παραδώσειν* et § 78 *τίνι δ' ἂν τὴν πατρίδα παρέδωκε μείζονα προδοσίᾳ;*

Baehrius potius Pollucis formulae patrocinium parari putavit ex loco Plutarchi Alcib. c. 15 *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς συνεβούλευεν* (Alcibiades) *ἀντέχεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ τὸν ἐν Ἀγραύλου προβαλλόμενον ἀεὶ τοῖς ἐφήβοις ὅρκον ἔργῳ βεβαιοῦν. Ὀμνύουσι γὰρ ὅροις χρήσασθαι τῆς Ἀττικῆς πυροῖς κριθαῖς ἀμπέλοις ἐλαίαις, οἰκείαν ποιεῖσθαι διδασκόμενοι τὴν ἥμερον καὶ καρποφόρον.* Cui convenit Ciceronis testimonium de rep. III 9, 15 'Athenienses iurare etiam publice solebant omnem suam esse terram quae oleam frugesve ferret'. Ab his enim propius abesse Pollucis verba quam Stobaei, ac videri ex pleniore formula qualem Plutarchus exhibet Pollucem sua hausisse et in brevius contraxisse. Verum Plutarchea verbis *πλεύσω καὶ καταρόσω* rectius exprimi quam formula a Lycurgo et Stobaeo relata *τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω* male sumitur. Quin hanc ipsam sententiam, qua significaretur meliorem reddendam esse terram per cultorum industriam, a Plutarcho copiosius circumscribi et exornari Wachsmuthius[2] censuit. Neque tamen ita difficultas tollitur inde conspicua

[1] *ἀρείω* ex epicorum usu receptum.

[2] Hellenische Altertumskunde I p. 476 n. 44.

quod Plutarchus et Cicero iuriiurando illi certam particulam diserte tribuunt quae neque extat in formula nobis tradita neque ex ea repeti facile potest. Eaque difficultas augetur mira neque satis perspicua illorum verborum sententia. Reiskius eam a Plutarcho fictam esse temere contendit. Ceterum hoc apparet Plutarchum et Ciceronem ex eodem fonte sua hausisse non alio opinor quam ipsa narratiuncula de Alcibiade, qui eiusmodi dicteriis apud Athenienses prolatis eorum cupiditatem finium proferendorum concitare voluerit. Quem haec iactandi causa dictitasse Müller-Strübing autumat.[1] Sed verba omnino finxisse eum non puto — quod non faceti esset hominis sed inficeti —: potius abusum esse clausula aliqua iurisiurandi quae ad agros rite colendos et segetum fruges tuendas pertineret: cui rei quantum semper curae impenderint Athenienses, ex antiquissimis Triptolemi et Buzygae quae ferebantur legibus constat. Ea autem clausula quod apud Stobaeum et Pollucem desideratur, fieri potuit ut propter ipsam sententiae obscuritatem aut resecaretur aut paulatim in oblivionem abiret.

Quae iam sequuntur *καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως* transitum faciunt ad alteram partem formulae, quae non tam militaria quam civilia epheborum complectitur officia: *καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι καὶ οὕστινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως. καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω*[2], *ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων. καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω.* Neque quidquam habet offensionis, quod horum verborum aliis locis mentio non fit, ubi de ephebis agitur; iurasse autem ephebos in haec verba eo probabilius est, quod eidem cum duos post annos in *πίνακα ἐκκλησιαστικόν* referrentur et pleno civis Attici iure

[1] Müller-Strübing, Aristoph. u. d. histor. Kritik p. 457: 'Renommage d. Alcibiades, denn die athen. Demokratie ward auch nicht in ihrer schlimmsten Zeit von solchen Windbeuteleien bestimmt.' Cf. Dumont l. c. p. 11: 'les termes de Plutarque sont précis; il est cependant difficile de se figurer exactement ce qu' était la formule, sur laquelle Alcibiade faisait un veritable jeu de mot.'

[2] cf. C. I. A. II 160 *οὔτ' ἐγὼ οὔτ' ἄλλῳ ἐπιτρέψω εἰς δύναμιν.* II 549[b] [*οὐδ' ἄλλῳ ἐ*]*πιτραψίω*, in heliastarum iureiurando *οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλον οὐδένα ἐάσω.*

potirentur, novo iureiurando obstringi non solebant. — Pro *εὐηκοήσω* a Stobaeo tradito Pollux praebet *συνήσω*, quod verbum non tam significat id quod oboedire, qua notione opus est, sed aut audire, i. e. auribus accipere vel aurem admovere[1] aut intellegere, comprehendere. Qua de causa probandum videtur *εὐηκοήσω*: quamquam hoc vocabulum pariter atque contraria notio *δυσηκοεῖν* rarissimum est et paucis aetatis infimae exemplis firmatur[2]. Nescio an vox sit obsoleta ex usu militari repetenda. Cui aliquo modo respondet *κρινόντων* secundum Homericum exemplum positum: quemadmodum *ἀρείω* ex epicorum usu receptum notavimus. Neque enim *κρίνοντες* hoc loco sunt qui iudicant, sed qui aciem instruunt: quam significationem agnoscunt Homerici loci hi:

Il. VI, 188 *κρίνας ἐκ Λυκίης εὐρείης φῶτας ἀρίστους*
εἷσε λόχον.

Il. II, 445 *οἱ δ' ἀμφ' Ἀτρείωνα διοτρεφέες βασιλῆες*
θῦνον κρίνοντες —.

Il. II, 362 *κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,*
ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.[3]

Cf. Hesych. *κρῖναι· τάξαι κτλ.* Quae cum ita sint, et *κρίνειν* et *εὐηκοεῖν* antiqua verba intellegimus sermonis militaris propria, quae in usu esse mox desierint.[4]

Levis illa discrepantia, quae est inter Pollucem et Stobaeum, cum hic *ὁμοφρόνως* ille *ἐμφρόνως* praebeat post *τὸ πλῆθος ἱδρύσηται*, deinde idem Stobaeus *ἐμφρόνως* post *εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων* posuerit, Pollux omiserit, ita videtur solvenda, ut sumamus, cum apud Pollucem vel eum quem

---

[1] Hom. Od. VIII 241.

[2] saepius legimus substantivum *εὐηκοΐα*, adiectivum *εὐήκοος*, adverbium *εὐηκόως* Plut. moral. p. 39[b]. Diodor. 17, 55; cf. Stephani Thes.

[3] de quibus cf. quae adnotaverunt Köchly et Rüstow, Griechische Kriegsgesch. II, 1 praef. p. 2.

[4] Cobet nov. lect. p. 223 pro *κρινόντων* corrigit *κραινόντων* i. e. *ἀρχόντων*. Sed *κραίνειν* vox vix dicitur de eo qui magistratu fungitur vel cui potestas aliqua legitima tradita est a populo, sed semper adhibetur ad dominationem principum, regum, tyrannorum designandam (vide Hesych. s. v. *κραίνειν*. Hom. Od. VIII 390. Soph. Oed. Col. 296. 449. 862. 926), ita ut in Atheniensium dicendi usu ei notioni locus non sit.

Pollux secutus est *ἐμφρόνως* ex *ὁμοφρόνως* altero loco corruptum fuisset, prius *ἐμφρόνως* ut supervacaneum omissum esse. Propterea Stobaeum secuti, quem saepius (si a levioribus discedis *ὅπλα τὰ ἱερά* pro *τὰ ὅπλα τὰ ἱερά, τὴν πατρίδα δέ* pro *καὶ τὴν πατρίδα, καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια* pro *καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πάτρια*) meliorem tradidisse lectionem iam intelleximus, priore loco *ἐμφρόνως*, altero *ὁμοφρόνως* recipiemus. Deinde E. de Leutsch [1] non *μετὰ πάντων* sed *μετὰ πολλῶν* scribendum esse putat, quod in exordio quoque formulae recte traditum sit. Sed discrimen inde statuendum est, quod in priore parte epheborum tanquam militum officia commemorantur, quibus non omnes Athenienses fungi oportebat, sed minores tantum sexaginta annis, in altera parte officia omnium civium propria nominantur, quae non ad certam aetatem, sed, ut par est, ad totam vitam pertinent: unde recte hoc loco *μετὰ πάντων*, illo *μετὰ πολλῶν* dictum esse arbitror.

Denique deorum nomina per quos iurabant ephebi apud Stobaeum omittuntur: *ἵστορες θεοὶ τούτων*, a Polluce afferuntur: *ἵστορες θεοὶ Ἄγραυλος Ἐνυάλιος Ἄρης Ζεὺς Θαλλὼ Αὐξὼ Ἡγεμόνη*. Quorum nominum quaenam ratio sit quaeve cum epheborum rebus necessitudo iam quaerendum est. Atque initio poni Agraulum par est Cecropis filiam, cuius ad aedem ab ephebis sacramentum dabatur. Cf. Demosth. XIX, 303 *καὶ τὸν ἐν τῷ τῆς Ἀγλαύρου τῶν ἐφήβων ὅρκον*. Plut. Alc. 15 *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς συνεβούλευεν ἀντέχεσθαι τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τὸν ἐν Ἀγραύλου προβαλλόμενον ἀεὶ τοῖς ἐφήβοις ὅρκον ἔργῳ βεβαιοῦν*. Philostr. vita Apoll. IV, 21 *οἱ νέοι, τὸ ἐφηβικὸν, οἳ πάλαι μὲν ὤμνυσαν εἰς Ἀγραύλου φοιτῶντες ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανεῖσθαι καὶ ὅπλα θήσεσθαι*. Pollux VIII, 105 *καὶ ὤμνυον ἐν Ἀγραύλου*. Per ipsam hanc deam iurasse iuvenes confirmat Hesychii testimonium s. v. *Ἄγλαυρος. θυγάτηρ Κέκροπος· παρὰ δὲ Ἀττικοῖς καὶ ὀμνύουσιν κατ' αὐτῆς· ἦν δὲ καὶ ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς* [2].

Complures enarrantur de Aglauro fabulae, quas cum minime cum ephebis cohaereant missas faciam praeter unam e Philochoro excerptam a Schol. ad Demosth. XIX, 303

[1] Philol. XII 279.

[2] *ἐπώνυμον Ἀθηνᾶς* eandem Harpocratio dicit s. v. *Ἄγλαυρος*.

Ἄγραυλος καὶ Ἕρση καὶ Πάνδροσος, θυγατέρες Κέκροπος, ὥς φησι Φιλόχορος· λέγουσι δὲ ὅτι πολέμου συμβάντος παρ' Ἀθηναίοις, ὅτε ὁ Εὔμολπος ἐστράτευσε κατὰ Ἐρεχθέως, καὶ μηκυνομένου τούτου ἔχρησεν ὁ Ἀπόλλων ἀπαλλαγήσεσθαι, ἐάν τις ἀνέλῃ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως· ἡ τοίνυν Ἄγραυλος ἑκοῦσα ἑαυτὴν ἐξέδωκεν εἰς θάνατον· ἔῤῥιψε γὰρ ἑαυτὴν ἐκ τοῦ τείχους. εἶτα ἀπαλλαγέντες τοῦ πολέμου ἱερὸν ὑπὲρ τούτου ἐστήσαντο αὐτῇ περὶ τὰ Προπύλαια τῆς πόλεως. καὶ ἐκεῖσε ὤμνυον οἱ ἔφηβοι μέλλοντες ἐξιέναι εἰς πόλεμον. Ubi quamquam plura parum accurate traduntur nec recte eis tantum temporibus iurasse ephebi ad Aglauri templum dicuntur, quibus in bellum profecturi essent, tamen apte declaratur, cur adulescentes ephebi facti ad Aglauri fanum iuraverint eiusdemque nomen in iurandi formula appellaverint, quae quidem morte voluntaria patriam servasse diceretur.

Alterum tertiumque locum obtinent *Ἐνυάλιος Ἄρης* bellorum patroni. Quamquam quaeritur utrum de uno deo cogitandum sit, ita ut Marti cognomen tantum fuerit Enyalio, an duo discernendi. Welcker, Griech. Götterlehre II, 730, Preller, Griech. Mythol. I, 265, Gust. Wolff, ephem. archaeol. XV (1857), p. 179 *Ἐνυάλιος* et *Ἄρης* unius dei duo nomina esse putant, quae saepius coniuncta inveniantur. Cf. Hom. Od. XVII, 211; Plutarch. mor. p. 801 E.; C. I. G. I, 1221: praeterea Wolff et alios citat locos, in quibus Enyalii fit mentio. et Aristoph. pac. 475, cuius versus vim ita demum intellegi posse ut statuamus Athenienses Martem et Enyalium unum eundemque agnovisse deum. Sed ubicunque *Ἐνυάλιος* et *Ἄρης* coniunguntur, semper *Ἐνυάλιος* epitheton sequitur nomen *Ἄρης*. Itaque verum vidisse Lobeckium opinor in comment. ad Soph. Aiac. v. 179 qui cum in hoc iureiurando singuli singulis nominibus nuncupentur dei, *Ἐνυάλιος* non posse pro epitheto Martis haberi monuit, sed ut neque Mercurii *Ἡγεμονίου Στροφαίου Ἐμπολαίου* neque Iovis Statoris Averrunci Hercei neque Martis Silvani Gradivi Ultoris eaedem fuerint caerimoniae immo maxime diversae, ita suspicari nos posse Martem et Enyalium, quorum nomina apud plerosque indiscreta essent, a veteribus non natura sed sacrorum causa distinctos fuisse atque speciem praebuisse diversorum deorum.

Iovis nomen quod quarto demum loco accedit post Agraulum cuius ad aedem iurabatur atque Martem et Enyalium bellicos potissimum deos, vix mirum: cum praesertim in enumerandis deis rationem auctoritatis dignitatisque quam obtinere vulgo putabantur habitam non esse ex aliis iurandi formulis appareat, velut C. I. A. II, 333 —]*ν Ἥλιον Ἄρη Ἀθηνᾶν Ἀρε*[*ίαν*] II. 66^b *ὄμνυμι νὴ τὸν Δία*] *καὶ Ἥλιον καὶ Ποσει*[*δ*]*ῶ καὶ Ἀθηνᾶν καὶ* [*Ἄρην*] — C. I. G. 3137. 5367. Polyb. VII, 9.

Difficilius iam intellectu est, qua de causa prolata sint quae sequuntur nomina: *Θαλλὼ Αὐξὼ Ἡγεμόνη*. De quibus conferendus est Carolus Robertus, qui nuper in Comment. in honorem Th. Mommseni scriptis p. 143 sq. de Gratiis Atticis disputans Pausaniae locum unde tota de Gratiis Horisque quaestio proficisci solet, magnopere esse suspectum evicit. Narrat enim Pausanias libr. IX, 35 Orchomeniis quidem triada, Lacedaemoniis autem et Atheniensibus dyada tantum Gratiarum notam fuisse: *τιμῶσι γὰρ ἐκ παλαιοῦ καὶ Ἀθηναῖοι Χάριτας Αὐξὼ καὶ Ἡγεμόνην. τὸ γὰρ τῆς Καρποῦς ἐστιν οὐ Χάριτος ἀλλὰ Ὥρας ὄνομα. τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν Ὡρῶν νέμουσιν ὁμοῦ τῇ Πανδρόσῳ τιμὰς οἱ Ἀθηναῖοι, Θαλλὼ τὴν θεὸν ὀνομάζοντες.* Atqui Athenis quoque iam quinto a. Chr. saeculo tres notae erant Gratiae quae in arce colebantur: quas Pausaniam quoque novisse apparet ex illo *τὸ γὰρ τῆς Καρποῦς*, sed idem cum auctorem suum temere sequeretur, qui duas tantum Gratias Athenis esse narrasset, hanc discrepantiam ita interpretatus est, ut tertiam illam, *Καρπώ*, non Gratiam sed Horam esse affirmaret. Iam tria Gratiarum nomina *Αὐξώ Θαλλώ Καρπώ* artius inter se cohaerere, *Ἡγεμόνη* autem nomen et forma et notione a tribus illis diversum, cum plerumque Dianae sit cognomen, ad Dianam *Ἐπιπυργιδίαν* esse referendum, ut Hegemone Thallo Auxo Carpo nihil aliud significet atque Hecaten et Gratias, quas una coluerint Athenienses in aditu arcis, sagaciter exponit Robertus[1]. Idem monet inter Gratias et Cecropis filias certam quandam esse similitudinem,

[1] Pausan. II, 30, 2; IX, 35, 3. 7. eiusdem descriptio arcis Ath. ed. Jahn-Michaelis p. 3 adn.

nam cum auctore Pausania l. c. Pandrosus eadem sit quae Thallo, eandem affinitatem inter Agraulum et Carpo atque inter Hersen et Auxo videri intercedere, quam rem ex ipsa dearum natura et notione, quae ad colendos fructus segetesque spectet, facile explicari. Haec si recte disputata sunt, cum Agraulus, cuius ad templum iurabant ephebi, primo loco nominata sit, inde factum ut in Gratiarum numero Carpo, quae Agraulo respondet, omitteretur. Quamquam fieri posse Robertus concedit idque probabilius duco, ut Carpo librariorum culpa interciderit. Certe ex levi hac difficultate concludi nequit, hos epheborum *θεοὺς ὁρκίους* esse fictos, nec inde causa petenda est de totius formulae fide dubitandi. Nam ephebos per Agraulum, Martem, Iovem iurasse probabile est, eosdem Gratias quoque Dianamque imprimis coluisse ex permultis epheborum inscriptionibus apparet, in quibus ephebos propter pompam publice laudantur quam armati cum *κοσμητῇ καὶ ἱερεῖ τοῦ Δήμου καὶ τῶν Χαρίτων* in honorem *τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Ἀγροτέρας* duxerint. cf. C. I. A. II, 466. 467. 468. 469. 470. 471. Adde C. I. A. III, 265 *ἱερεὺς Δήμου καὶ Χαρίτων καὶ Ῥώμης*. III, 268 *ἱερέως Χαρίτων καὶ Ἀρτέμιδος Ἐπιπυργιδίας πυρφόρου*: quam Dianam eandem esse quae *Ἑκάτη ἐπιπυργιδία* dicitur a Pausania II, 30, 2 recte Vischerum secutus notat editor.

III.

DE SENATORUM IUREIURANDO.

Senatores (*βουλευτάς*) in *δοκιμασίᾳ*[1] probatos iusiurandum dedisse ex compluribus locis scimus, ex ipsa vero iurisiurandi formula non supersunt nisi paucissima: unde tamen concludi potest permulta fuisse in ea formula nominatim prolata, quae ad singula senatorum spectent munera atque officia.

Ac primum quidem iurasse senatores se optime consulturos esse reipublicae apparet ex locis his: Xenoph. memor.

[1] Lys. XVI. XXIX.

I, 1, 18 *βουλεύσας γάρ ποτε καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας, ἐν ᾧ ἦν κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν.* Demosth. LIX, 3 *προεληλυθότος δὲ χρόνου λαγχάνει βουλεύειν Ἀπολλόδωρος· δοκιμασθεὶς δὲ καὶ ὀμόσας τὸν νόμιμον ὅρκον* — — § 4 *ὀμωμοκὼς δὲ τὰ βέλτιστα βουλεύσειν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων κτλ.* Lys. XXXI, 1 *ἐγὼ δὲ ὀμόσας εἰςῆλθον εἰς τὸ βουλευτήριον τὰ βέλτιστα βουλεύσειν τῇ πόλει·* § 31 *ἔτι δὲ ἐνθυμήθητε ποίων ἂν ὑμῖν δοκεῖ οὗτος ὅρκων φροντίσαι, ὃς ἔργῳ τοὺς πατρῴους θεοὺς προύδωκεν; ἢ πῶς ἂν χρηστόν τι βουλεῦσαι περὶ τῆς πολιτείας;* cf. XXX, 10 *Κλεοφῶν τὴν βουλὴν ἐλοιδόρει, φάσκων συνεστάναι καὶ οὐ τὰ βέλτιστα βουλεύειν τῇ πόλει.* Quae verba in ipso capite formulae locum habuisse probari videtur senatorum Erythraeorum iureiurando C. I. A. I, 9 quod ab isdem fere incipit verbis: *βουλεύσω ὡς ἂν δύνωμαι ἄριστα καὶ δικαιότατα·* His autem verbis arte iungenda videntur quae Plutarchus memorat v. Sol. c. 25 *κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν.*

Praeterea in illa iurandi formula probationis senatoribus et archontibus coram senatu subeundae mentionem factam esse scimus[1]. Quo pertinet Lys. XXXI 2 *ἔνεστί τε ἐν τῷ ὅρκῳ ἀποφανεῖν εἴ τίς τινα οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν.* XXVI 8 *ἔστι δ' ὑμῖν* (i. e. *βουλευταῖς*) *οὐ τοῦτο μόνον σκεπτέον, ἀλλὰ* — — *καὶ πότερον ὑμεῖς ὠμόσατε εἰς τὴν ἀρχὴν ἀδοκίμαστον καταστήσειν, ἢ δοκιμάσαντες τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς στεφανώσειν.* De secretis senatus consiliis si quae *ἐν ἀπορρήτῳ* peragenda essent[2] tacite habendis cautum fuisse in sacramento recte ex eiusdem orationis Lysiacae XXXI verbis § 31 editores effecerunt *ἢ ποῖ' ἂν ἀπόρρητα τηρῆσαι* (sc. *ὑμῖν δοκεῖ οὗτος*), *ὅς οὐδὲ τὰ προειρημένα ποιεῖν ἠξίωσεν;* Arcana senatus consilia saepius commemorantur, unde *τῶν ἀπορρήτων κυρία* appellatur *βουλή* [Dem.] XXV 23. cf. Aristoph. equit. 648 eccl. 442 *κοὔτε τἀπόρρητ' ἔφη ἐκ Θεσμοφόροιν ἑκάστοτ' αὐτὰς ἐκφέρειν, σὲ δὲ κἀμὲ βουλεύοντε τοῦτο δρᾶν ἀεί.*

---

[1] cf. Thalheim, die dokimasie der beamten in Athen, in Annal. phil. 1879 p. 601—8. Idem in Herm. XIII p. 366 sq. Fränkel ib. p. 561 sq.

[2] cf. Lys. XIII 21.

Deinde constat iurisdictionem senatus certis illam finibus circumscriptam in iureiurando commemoratam fuisse. Nam Demosthenes XXIV, 144, quo loco verba „οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα“ non in heliastarum sed in senatorum iurandi formula inesse demonstrat, ipsam formulam citat hanc:

„οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας, πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ, ἢ τέλος τι πριάμενος ἢ ἐγγυησάμενος ἢ ἐκλέγων μὴ καταβάλλῃ.“

Cf. ibid. 147 τὸ „οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα“, ἐν δὲ τῷ ὅρκῳ τῷ βουλευτικῷ γέγραπται. 151 ἐνταῦθ' (in heliastarum iureiurando) οὐκ ἔνι, ὦ ἄνδρες δικασταί, „οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα“. Andoc. I 93 ὁ γὰρ νόμος οὕτως εἶχε, κυρίαν εἶναι τὴν βουλήν, ὃς ἂν πριάμενος τέλος μὴ καταβάλλῃ, δεῖν εἰς τὸ ξύλον. Plura addit [Andoc.] IV 3: ἄξιον δὲ μέμψασθαι τὸν θέντα τὸν νόμον, ὅς ἐναντία τῷ ὅρκῳ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ἐνομοθέτησεν· ἐκεῖ μὲν γὰρ ὄμνυτε μηδένα μήτε ἐξελᾶν μήτε δήσειν μήτε ἀποκτενεῖν ἄκριτον: verum iste rhetor fide indignus est, cum praesertim inepte τὸν ὅρκον τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς appellet.

Sub finem saeculi V quaedam addita sunt in iusiurandum senatorum. Nam anno Glaucippi archontis (Ol. 92, 3) imperio populari recens restituto primum senatores certa loca litteris signata sortitos esse eamque rem in sacramentum senatorium esse receptam diserto constat Philochori testimonio apud schol. Aristoph. plut. 972 φησὶ γὰρ Φιλόχορος ἐπὶ Γλαυκίππου· καὶ ἡ βουλὴ κατὰ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθέζετο, καὶ ἔτι νῦν ὄμνυσι (ὀμνύουσι corr. Schoell) ἀπ' ἐκείνου καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι ᾧ ἂν λάχωσι. Quo tempore alia quoque novata videntur esse in senatus officiis. Cf. R. Schoell de extraordinariis quibusdam magistratibus Atheniensium, in Comm. Mommsen. p. 460.

Altera clausula ab Andocide memoratur I 91 „καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων πλὴν τῶν φυγόντων“, post eversam trigintavirorum dominationem in iurandi formulam inserta: quam per tempus proxi-

mum repeti solitam mox ut similem illam heliastarum (cf. p. 28) omissam esse probabile est.

Denique qualis fuerit execrationis formula atque quos per deos senatores iuraverint pro certo scire non possumus. Quamquam cum compluribus locis cognomen *βουλαῖος* inveniamus additum Iovi, Minervae, Vestae, Dianae fieri potest, ut hi dei quibus in senatu arae vel simulacra dedicata essent, etiam in senatorum iureiurando locum habuerint. Cf. Antiph. VI, 45; Aesch. II, 45; Harpocr. s. v. *βουλαία*; C. I. A. II, 417; C. I. G. I, 112. 113.

IV.

DE MAGISTRATUUM IUREIURANDO.

1. DE ARCHONTIBUS.

Inter magistratus Athenienses primum locum obtinent archontes. De quibus Pollux, qui in magistratibus tractandis Aristotelem potissimum secutus est[1] haec habet: VIII, 86 *ὤμνυον δὲ οὗτοι πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ ἐπὶ τοῦ λίθου ἐφ' οὗ τὰ τόμια*[2]*, συμφυλάξειν τοὺς νόμους καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτῖσαι. εἶτα ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες ὤμνυον ταὐτά.* Ex hoc loco apparet, dedisse archontes bina iuraiuranda, prius in foro *πρὸς τῷ λίθῳ*[3] alterum in

[1] cf. Val. Rose, Aristot. pseudepigr. p. 425—27. Stojentin de Iulii Pollucis in publ. Ath. antiquitatibus enarr. auctoritate Vratislav. 1875 p. 8.

[2] sic enim Bergkium (Ep. ad Schillerum 131 et Rhein. Mus. XIII, 448—57) secuti legimus; Pollucis codd. aut *ὑφ' ᾧ τὰ ταμιεῖα* aut *ἐφ' ᾧ τε ταμιεῖα.* Ubi *ταμιεῖα* omni sensu idoneo caret; *τόμια* vocabulum optime quadrare, siquidem de iureiurando agitur, docent loci hi: Aristoph. Lys. 186 *καί μοι δότω τά τόμιά τις. — Λυσιστράτη, τίν' ὅρκον ὁρκώσεις ποθ' ἡμᾶς κτλ.* Dem. XXIII, 68 *ἀλλ' ὃν οὐδεὶς ὄμνυσιν ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου, στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου.* Paus. IV, 15, 8. Antiph. V, 88. Plat. legg. VI, 753 D.

[3] Harpocr. s. v. *λίθος· ἐοίκασι δ' Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ καὶ Φιλόχορος ἐν τῷ γ' ὑποσημαίνουσιν.* Bergk l. c. p. 453.

arce. Ex eodem Aristotelis testimonio pendet quod legimus apud Heraclidem *περὶ πολιτειῶν* p. V *εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες θεσμοθετικοὶ* (*οἳ καὶ θεσμοθέται* Bergk), *οἳ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι δικαίως ἄρξειν καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι ἢ ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀναθήσειν.* Idem Plut. Solon. c. 25 *κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον δ' ἕκαστος τῶν θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ καταφατίζων, εἴ τι παραβαίη τῶν θεσμῶν ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς.* Atque ad singularem istam iurandi formulam respicit Plat. Phaedr. p. 235 D (*Φαῖδρ.*) *ἀλλ', ω γενναιότατε, κάλλιστα εἴρηκας· σὺ γὰρ ἐμοὶ ὧν τινων μὲν καὶ ὅπως ἤκουσας, μηδ' ἂν κελεύω εἴπῃς, τοῦτο δὲ αὐτὸ ὃ λέγεις ποίησον· τῶν ἐν τῷ βιβλίῳ βελτίω τε καὶ μὴ ἐλάττω ἕτερα ὑπόσχες εἰπεῖν, τούτων ἀπεχόμενος. καί σοι ἐγώ, ὥσπερ οἱ ἐννέα ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν, οὐ μόνον ἐμαυτοῦ ἀλλὰ καὶ σῆν.* (*Σωκρ.*) *Φίλτατος εἶ καὶ ὡς ἀληθῶς χρυσοῦς, ὦ Φαῖδρε, εἴ με οἴει λέγειν ὡς Λυσίας τοῦ παντὸς ἡμάρτηκε, καὶ οἷόν τε δὴ παρὰ πάντα ταῦτα ἄλλα εἰπεῖν.*

Certo igitur constat idoneorum auctorum testimonio iurare solitos esse archontes se magistratu suo iuste functuros, leges servaturos, dona non accepturos esse, absque quo esset, se statuam auream *ἰσομέτρητον* Delphis in templo dedicaturos esse. Iam *ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν* quid significet dubitari potest. Secundum illum Platonis locum haec verba ita praecepta esse videntur, ut ei, qui magistratum suum non iuste gessisset atque corrumpi sese pecunia passus esset, statua dedicanda esset paris atque esset ipse qui in officiis deliquisset magnitudinis ac ponderis. Atqui cum nemo tantas haberet divitias, ut hanc multam pendere posset, qui autem aerario deberet infamis fieret, ideo Schoemannus[1] sententiam illam *ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν* priscam formulam esse statuit quae per imaginem ipsam infamiam significet. Sed duobus locis Dinarchi I, 60 *περὶ δὲ τῶν δωροδοκούντων δύο μόνον τιμήματα πεποιήκασιν, ἢ θάνατον — — ἢ δεκαπλοῦν τοῦ ἐξ ἀρχῆς λήμματος τὸ τίμημα.*

[1] Griechische Altertümer I p. 439 (ed. III) n. 2.

II, 17 *ἔπειτα ἐν τοῖς νόμοις δώρων γραφὰς ποιήσαντες καὶ κατὰ μόνου τούτου τῶν ἀδικημάτων δεκαπλασίαν ἐπιτιθέντες τοῦ τιμήματος τὴν ἔκτισιν* comperimus eum qui corruptionis convictus esset aut capite damnatum esse aut decies tanto solvere debuisse, quantum accepisset, id quod ita certo intellegendum est, ut illa fuerit maxima, haec minima corruptionis poena, prout ipsum crimen postularet. Hos Dinarchi locos Th. Bergk l. c. cum illis in archontum iureiurando praeceptis sagaciter ita consociavit, ut moneret aurum circiter decies tantum habuisse pretium, quantum argentum. Quodsi archon corruptus decemplicem argenti quod accepisset summam solvere deberet, cum decemplex argenti summa idem valeret quod auri simplex, nihil prorsus interesse, utrum decemplicem argenti an simplicem i. e. eandem paris ponderis (*ἰσομέτρητον*) auri summam exsolvi debuisse dicatur. Quod denique archontes hanc auri summam in statuam auream in templo Delphico collocandam consumere iubebantur ad piaculum removendum videtur pertinere. Atque ipsius Phaedri verba in Platonis loco priscam obsoletamque habitam esse hanc condicionem docent. Quamquam in hac explicandi via nonnulla sunt, in quibus iure offendi possit, imprimis quod nulla delicti commissi ratione habita una tantum multa statuta esse videtur. Nam quod Bergkius addit, pondus ac magnitudinem statuae, ut par sit, accommodari ad delicti magnitudinem, equidem non intellego. Etenim si multa est decemplex, ea iam certissime statuta atque circumscripta est neque respicitur, utrum maiore pecuniae summa ad levius an minore ad gravius delictum committendum quis corruptus fuerit.

2. DE STRATEGIS.

Ex strategorum iureiurando id tantum diserte notatur eos iurasse, se milites lecturos esse eos qui stipendia non fecissent. Lys. IX 15 *ὀμόσαντες μὲν οὖν τοὺς ἀστρατεύτους καταλέξειν παρέβησαν τοὺς ὅρκους.* Praeterea verisimile est ipsos quoque addidisse, se dona non accepturos esse: Dinarch. III, 2 *στρατηγὸς ὑφ' ὑμῶν — — κεχειροτονημένος καὶ δῶρα τολμήσας λαβεῖν κατὰ πάντων ὑμῶν καὶ τῆς χώρας καὶ παίδων*

καὶ γυναικῶν καὶ ἐπιωρκηκὼς ὃν ὤμοσεν ὅρκον μεταξὺ τοῦ ἕδους[1] *καὶ τῆς τραπέζης*. Quale statutum ut in heliastarum et archontum iureiurando ita in omnium magistratuum iurandi formulis locum habuisse probabile est. Denique clausulam anno 431 per Charini rogationem additam huic formulae scimus ex Plutarchi Pericl. c. 30: *γράφει ψήφισμα κατ' αὐτῶν Χαρῖνος — — τοὺς δὲ στρατηγούς, ὅταν ὀμνύωσι τὸν πάτριον ὅρκον, ἐπομνύειν, ὅτι καὶ δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσιν*. Rem confirmat Thucydides IV, 66 *τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους Μεγαρῆς οἱ ἐν τῇ πόλει πιεζόμενοι ὑπό τε Ἀθηναίων τῷ πολέμῳ, ἀεὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον δὶς ἐσβαλλόντων πανστρατιᾷ ἐς τὴν χώραν*[2]. Quam per certum tantum tempus repeti solitam esse consentaneum est.

V.

DE DIAETETIS ET DE CERTAMINUM IUDICIBUS.

1. Diaetetae causarum privatarum iudices utrum iureiurando obstricti fuerint necne viri docti inter se dissentiunt[3]. Eorum duo constat fuisse genera: diaetetae publici, quorum quotannis certus numerus sorte eligebatur, et diaetetae arbitri privati, qui nulla publica auctoritate instructi ab ipsis litigantibus ad certam causam diiudicandam sumebantur. Atque ab horum iudicio nulla erat provocatio, a publicorum diaetetarum sententia ad heliastas provocari poterat. Quodsi quaerimus num diaetetae publici privative iusiurandum dederint, proficiscendum esse mihi videtur ab Isaei verbis V 31 sq.

---

[1] Id ad *ἀρχαῖον ἕδος τῆς Ἀθηνᾶς Πολιάδος* pertinere recte Bergkius l. c. p. 456 suspicatus est; ut strategis quoque in arce iurandum fuerit.

[2] cf. Thuc. II 31 cum Classeni adnot. Ullrich Megar. Psephisma 31 n. 61.

[3] Hermann, Staatsaltert. § 145, 10. 20. — Meier, die Privatschiedsrichter und die öffentlichen Diaeteten Athens, p. 4 sq. 12.

καὶ ἡμεῖς ὥσπερ μικρὰ ἀδικούμενοι συνεχωρήσαμεν, καὶ ἐπετρέψαμεν διαιτηταῖς τέτταρσιν, ὧν τοὺς μὲν δύο ἡμεῖς ἠγάγομεν, τοὺς δὲ δύο ἐκεῖνοι. καὶ ἐναντίον τούτων ὡμολογήσαμεν ἐμμενεῖν οἷς ἂν οὗτοι γνοῖεν, καὶ ὠμόσαμεν· καὶ οἱ διαιτηταὶ ἔφασαν, εἰ μὲν ἀνώμοτοι δύναιντ' ἂν ἡμᾶς διαλλάξαι, οὕτω ποιήσειν, εἰ δὲ μή, καὶ αὐτοὶ ὀμόσαντες ἀποφανεῖσθαι ἃ δίκαια ἡγοῦνται εἶναι. ἀνακρίναντες δὲ ἡμᾶς πολλάκις καὶ πυθόμενοι τὰ πραχθέντα οἱ διαιτηταί, οἱ μὲν δύο οὓς ἐγὼ προὐβαλόμην, Διότιμος καὶ Μελάνωπος, ἤθελον καὶ ἀνώμοτοι καὶ ὀμόσαντες ἀποφήνασθαι ἃ ἐγίγνωσκον ἀληθέστατα ἐκ τῶν λεγομένων, οὓς δὲ Λεωχάρης προὐβάλετο, οὐκ ἔφασαν ἀποφανεῖσθαι. Ex hoc enim loco pro certo apparet, necesse non fuisse ut iusiurandum darent diaetetae privati — nam de his agi et ex ipsa re intellegimus et inde quod quattuor nominantur — eosdem tamen potuisse iurare ac certe in rebus gravioribus iurasse nisi forte totam causam reicere mallent. Atque consentaneum est praeiudicium fieri, si sacramentum recusarent alterutrius partis arbitri, quale in actionibus fiebat abnuente alterutro litigantium quominus servi in tormenta darentur. Haec si vera sunt, haud fallemur in interpretando loco Demosth. XXIX, 58 καὶ εἰ μὲν μὴ καὶ παρὰ τοῖς αὐτοῦ φίλοις καὶ παρὰ τῷ διαιτητῇ προεγνωσμένος ἀδικεῖν τούτους ἐποιεῖτο τοὺς λόγους, ἧττον ἂν ἦν ἄξιον θαυμάζειν· νῦν δ' ἐπιτρέψαι με πείσας Ἀρχένεῳ — — —, τούτους μὲν ἀφῆκεν ἀκούσας αὐτῶν ὅτι, εἰ μεθ' ὅρκου ταῦτα διαιτήσουσιν, καταγνώσονται τὴν ἐπιτροπήν, ἐπὶ τὸν κληρωτὸν δὲ διαιτητὴν ἐλθὼν καὶ οὐδὲν ἔχων ἀπολύσασθαι τῶν ἐγκεκλημένων ὦφλε τὴν δίαιταν. Itaque ubi diaetetae privati iudicaverunt, se si iureiurando dato sententiam dicere cogerentur, compromissum reiecturos esse, Aphobus adit diaetetam publicum, neque tamen propterea, quod is iureiurando non obstrictus esset, sed quod ab illis ad aliud iudicium appellandi copia non erat[1]. Ex his omnibus apparet non semper dedisse iusiurandum diaetetas privatos neque certam formulam iurandi fuisse, sed data occasione inter litigantium partes et eos qui

---

[1] Nonnunquam quoque omnino se sententiam dicturos esse negabant diaetetae privati (Dem. XXXIV, 21 cf. XLI, 15; LII, 30) aut non κατὰ τὰ δίκαια sed κατὰ τὰ συμφέροντα diiudicaturos se esse affirmabant.

electi erant diaetetas convenisse quibus condicionibus illi sive iureiurando dato sive non dato rem diiudicarent.

Diaetetae publici num in certam formulam iuraverint, nescimus, sed cum et magistratuum eidem et iudicum vice fungerentur, id pro certo affirmare ausim.

2. Iudices quoque certaminum in theatro ad iusiurandum adigebantur, quo se optima fide iudicaturos esse affirmarent: quamquam ne huius quidem formulae vestigia ulla extant. Plut. Cim. c. 10 in narratiuncula sublestae fidei de Aeschylo et Sophocle certantibus: *οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς* (scl. *κριτάς*) *ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον.* Aristoph. Eccles. 1160 *μὴ 'πιορκεῖν, ἀλλὰ κρίνειν τοὺς χοροὺς ὀρθῶς ἀεί κτλ.* Pherecrates *Κραπατάλλων* fr. 16 (Meineke, Com. gr. II, 293) *τοῖς δὲ κριταῖς τοῖς νυνὶ κρίνουσι λέγω, μὴ 'πιορκεῖν μηδ' ἀδίκως κρίνειν.* [Andoc.] IV, 21. Dion. Chrys. 52 p. 549 Mor. Demosth. XXI, 17. 65. Conferendi Platner, Proz. u. Kl. I, p. 392; Hermann Staatsalt. 148, 13; prae ceteris Sauppe, über die Wahl der Richter in den musischen Wettkämpfen an den Dionysien. Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1855.

VI.

DE DEMOTARUM IURANDI FORMULIS.

Demoticarum iurandi formularum quattuor extant exempla, quorum duo ad demotarum iudicium, duo ad magistratus quosdam demi pertinent.

a) Atque demotarum concilium iudicii partes egisse in *διαψηφίσει* quae vocatur nota res est. Etenim cum saepius fieret ut peregrini contra leges in civitatem Atticam irreperent, interdum plebiscito statuebatur ut per pagos quaereretur qui iure essent cives Attici, qui non essent. Deinde singuli demarchi demotas convocatos iureiurando obstringebant ut de unius cuiusque pagani civitate ex animi sententia sine dolo

malo suffragia ferrent (id est διαψηφίζεσθαι). Ipsam formulam commemorat Demosthenes in or. LVII 63 ubi hoc dicit: ἔκ τε γὰρ τοῦ ὅρκου ἐξήλειψαν τὸ ψηφιεῖσθαι γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ καὶ οὔτε χάριτος ἕνεκ' οὔτ' ἔχθρας. Cum haec verba mirum in modum referant heliastarum iusiurandum, fieri potest ut omnino ad illius formulae exemplum altera efficta sit. Certe verisimile est demotas quoque iurasse se dona non accepturos esse, quae clausula in omnes fere et magistratuum et iudicum formulas recepta est.

b) In titulo pagi Aexonensium nuper a Lollingio edito [1], quem editor ex causis parum certis ad annum 325/4 a. Chr. rettulit, agitur de pascuis pagi locandis arbitrioque demotarum de residuis pecuniis instituendo. Leguntur ibi haec v. 6 sq. δικάζεσθαι δὲ τὸν δήμαρχον — — — [οὐκ] ἀποδεδωκόσιν καὶ τῷ τοῦ ἐννομίου τὴν τιμὴν οὐκ ἀπο[δεδωκότι· καὶ ἐάν τ]ινες τῶν ὀφειλόντων βούλωνται ἐπιτρέπειν τοῖς δημό[ταις περὶ ὧν ὀφεί]λουσιν, ὀμόσασιν πρὶν εἰσάγεσθαι εἰς τὸ δικαστήριον, [ἦ μὴν ποήσειν τὴν] ἐπιτροπὴν καθότι ἂν μέλλῃ ἔσεσθαι ὡς δικαιοτάτη, τὰς [— — — — — —]ῆσθαι αὐτοῖς, ἕως ἂν δικάζωσιν οἱ δημόται. ὀμόσαι δὲ καὶ [οἳ ἂν ἐπιτρέπωσ]ιν ἐμμενεῖν οἷς ἂν ψηφίσωνται οἱ δημόται καὶ ἀποδώσε[ιν τὰς τιμὰς καὶ τῶν ὄ]ντω[ν τ]αὐτώνητα βέβαια ποήσειν τοῖς δημόταις. Supplementa sunt Lollingii, nisi quod v. 9 scripsi ἦ μὴν ποήσειν τὴν ἐπιτροπήν pro eo quod ille dedit ποήσειν κατὰ τὴν ἐπιτροπήν: rectius esset ποιήσεσθαι τὴν ἐπιτροπήν, quod spatio non convenit. Hiatum v. 10 intactum reliqui: τὰς [τιμὰς αὐτῶν καθ]ῆσθαι dedit Lollingius. Habemus igitur iusiurandum concilii demotarum quod arbitrium suscipit, deinde formulam redemptorum qui arbitrio sese committunt. In altera parte lapidis demarchi, ni fallimur, iusiurandum perscriptum erat, quod non videtur pertinere ad idem demotarum arbitrium, sed ad ipsam curam pascuorum et redituum inde percipiendorum. Quamquam res incerta est, cum hae tantum reliquiae agnoscantur: ἐπι — — — — [Ἡ]ρακλ — — — — — αγνων (vel α γνωμ —) — — — — καὶ λυ — — — — — τούτω[ν] — — — — — — ε τῶν ἐμ — — — (οὐδ]ὲ τῶν ἐμ[ῶν οὐδεὶς]

[1] Mitteilungen d. deutschen arch. Inst. in Athen. 1879. IV 200.

Schoell) ε[ἰ]δότος ἐμ[οῦ, ἐὰν] μὴ ψηφίσωνται οἱ [δ]ημόται ἀποδόσθαι τὰ ἐννόμια, καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ἀποφανῶ τοῖς δημόταις ἐάν τινά τι εἰδ(ῶ) — traditur εἰδῇ — ποιοῦντα τούτων ἐν τοῖς [ἀγ]ροῖς· ἀληθῆ ταῦτα [νὴ] τὸν Δία νὴ τὸν Πο[σε]ιδῶ νὴ τὴν Δήμητ[ρα], εὐορκοῦντι μέμ [μοι] εἶναι πολλὰ καὶ [ἀγαθὰ], εἰ δ' ἐπιορκοί[ην] τὰ ἐναντία. Ubi quod Iovi ac Cereri deis ὁρκίοις Neptunus adiungitur, hac de re supra p. 27 accuratius disputatum est.

c) In titulo vetustissimo de sacris Scambonidarum administrandis C. I. A. I 2 (IV 2) = C. I. G. I 70, Hicks. inscr. gr. Mus. Brit. I p. 1, 1 ex magistratus cuiusdam iureiurando verba extant haec: κηρυ[χ]θῇ (vel κηρύ[χ]σῃ) — — ἐπαγγελθῇ. καὶ τὰ κοιν[ὰ] τὰ Σκαμβωνιδῶν σωῶ καὶ ἀποδώσω παρὰ τὸν εὔθυνον τὸ καθῆκον· ταῦτα ἐπομνύναι τοὺς τρεῖ[ς] θεούς. Quae in verba verisimilius est iurasse sacrorum curatores (ἱεροποιούς), quae est sententia Kirchhoffii. cf. C. v. 3—4, quam quod Rosio, inscr. graec. vet. XXXI p. 249 visum erat, demarchum. Iurant igitur illi se communia sacra atque iura pagi servaturos rationemque reddituros esse euthyno. Tres deos invocare iubentur, ni fallimur notos illos Iovem Apollinem Cererem; quamquam possit aliquis huc quoque referre Iovem Neptunum Cererem ex altero titulo demotico (supra b).

d) Euthyui, logistae, synegororum demi Myrrhinusiorum iuraiuranda novimus ex C. I. A. II 578 ubi legitur: — — κ]αὶ ἐάν μ[ο]ι [δ]οκεῖ ἀδικεῖν κα[τευθ]υν[ῶ αὐ]τοῦ [καὶ τιμήσ]ω οὗ [ἄ]ν μ[ο]ι [δ]ο[κ]εῖ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδι[κ]η[μ]α, [νὴ τ]ὸ[ν Δία νὴ τ]ὸ[ν Ἀ]πόλλω νὴ τὴ[ν] [Δ]ήμητρα, εὐορ(κ)οῦντι μ[έν] (μ)οι πολ[λ]ὰ κα[ὶ ἀγα]θά (εἴη sculptoris incuria omissum) εἰ δ' ἐπιορκο[ί]ην τἀναντία. ὀμνύναι [δ]ὲ τὸν ὅρκον τὸν λογιστὴ[ν] λογιεῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ ἀ[νηλ]ωκέναι, [καὶ] το[ὺ]ς σ[υν]ηγό[ρ]ους συνηγορήσειν τῷ δήμῳ τ[ὰ δ]ίκαια καὶ [ψηφι]εῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκεῖ δικαιότατα εἶναι. τ[ῶ]ι δὲ εὐθύ[ν]ῳ μὴ ἐξεῖναι ἐξελεῖν τὴν εὔθυναν ἐὰν μὴ τοῖς [πλ]έοσιν δόξει τῶν δέκα τῶ(ν) αἱρ[εθ]έ(ν)των διαψηφιζομένοις [κ]ρύβδην. τὴν δὲ ψῆφον διδότω [ὁ νέ]ος δ(ή)μαρχος καὶ ἐξορκού[τ]ω αὐτοὺς ἐνα[ντ]ίον τῶν δημο[τῶν]. εἶ(ν)αι δὲ καὶ ἔφεσιν αὐτῷ [ε]ἰς ἅπα(ν)τας τοὺς δημότας· ἐ[ὰν δ]έ τις ἐφῇ, ἐξορκούτω ὁ δήμα[ρ]χος τοὺ(ς) δημότας καὶ διδό[τω τὴ]ν ψῆφον ἐὰν παρῶσι μὴ ἐλάττους ἢ ΔΔΔ.

De hoc titulo conferenda sunt quae exposuit Rudolfus Schoell in libello de synegoris Atticis p. 30 sq. Apparet ex eo de rationibus magistratui reddendis eadem in singulis pagis praecepta fuisse quae in ipsa republica Atheniensium, nisi quod Athenis deni erant et logistae et euthyni, in pagis singuli. Synegororum numerus num par fuerit publicorum synegororum numero nescio; certe plures in pagis quoque erant[1]. Loco autem heliastarum, qui Athenis rationes redditas aut comprobabant aut reiciebant, in pagis decem electi sunt (*τῶν δέκα τῶν αἱρεθέντων*) ab iisque, id quod maioris est momenti, provocatio erat reo ad omnes demotas. Ab his si discesseris ipsa munera et euthyni et logistae et synegororum in pagis ita videntur expressa esse ex publicorum civitatis institutorum imitatione, ut publicos quoque magistratus illos in simillima verba iurasse nostro iure concludere possimus.

Euthynus primum iurabat se rationes redditas accuratissime examinaturum esse, deinde se dona non accepturum esse[2]. Id enim elicio ex vestigiis tituli v. 8—9

8. .... *T . Ι . Λ . . . EMOIOY*
9. ...*Λ A ι EI/OT υ Σι MO*......*ι*.. *ι Γ*.. *ι ιΟ / \ . \ ι Λ ι . / I E A* //

fuit *οὐδὲ δῶρα δέξομαι οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔ]τ[ε] ἄ[λ]λ[ος] ἐμοὶ οὐ[δὲ ἄ]λλ[η] εἰ[δ]ότος [ἐ]μο[ῦ μηχανῇ ἢ τ]έ[χνη]ι οὐδ[ε]μιᾷ, [κα]ὶ ἐάν μ[ο]ι [δ]οκεῖ ἀδικεῖν κτλ.*

Quae prorsus respondent heliastarum iurisiurandi verbis *οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ οὐδ' ἄλλη εἰδότος ἐμοῦ οὔτε τέχνῃ οὔτε μηχανῇ οὐδεμιᾷ*: de quibus fusius disserui p. 19 sq.

Denique sequuntur *καὶ ἐάν μοι δοκῇ ἀδικεῖν κατευθυνῶ αὐτοῦ καὶ τιμήσω οὗ ἄν μοι δοκῇ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδίκημα.* Verbum *κατευθύνειν* de euthyno accusatore dictum ut Plat. legg. XII p. 945 A significat idem quod *καταγιγνώσκειν* i. e. praeiudicio

---

1 Quinos fuisse aliquo iure statuas ex comparatione quinque synegororum **phratriae** in simili re electorum C. I. A. II 841[b] v. 30 sq.

2 cf. Aeschin. I 107 *λογιστὴς γὰρ γενόμενος πλεῖστα μὲν τὴν πόλιν ἔβλαψε δῶρα λαμβάνων παρὰ τῶν οὐ δικαίως ἀρξάντων.*

pronuntiare contra aliquem de ratione reddita[1], quod confirmatur verbis *καὶ τιμήσω οὗ ἄν μοι δοκῇ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδίκημα*, ubi *ἀδίκημα* pertinet ad peculatum factum pecuniasve per iniuriam e demi arca ablatas[2].

Ceterum tres *θεοὶ ὅρκιοι* eidem sunt per quos sollemniter apud Athenienses iurari solebat, neque execrationis formula a reliquis huiusce modi formulis differt.

Ex logistae atque synegororum sacramentis, ut Schoellius l. c. monuit, hoc pro certo apparet logistae pagi non secus atque publico computandi officium (*λογιεῖσθαι*) fuisse eumque praesidere iudicio in quo euthynus accusatoris munere fungatur, synegororum autem singularem provinciam eam fuisse ut non solum pagi nomine rem agerent (*συνηγορήσειν τῷ δήμῳ*), sed etiam ipsi suffragia ferrent. Qua re differunt illi quidem a phratriae synegoris qui innotuerunt ex titulo insigni phratriae Demotionidarum C. I. A. II 841^{b} v. 30 sq. *ἐὰν δέ τις βούληται ἐφεῖναι εἰς Δημοτιωνίδας ὧν ἂν ἀποψηφίσωνται, ἐξεῖναι αὐτῷ, ἑλέσθαι δὲ ἐπ' αὐτοῖς συνηγόρους τὸν Δεκελειῶν οἶκον πέντε ἄνδρας ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη γεγονότας, τούτους δὲ ἐξορκωσάτω ὁ φρατρίαρχος καὶ ὁ ἱερεὺς συνηγορήσειν τὰ δικαιότατα καὶ οὐκ ἐάσειν οὐδένα μὴ ὄντα φράτερα φρατρίζειν.* Hi enim synegori accusatorum partes sustinent: qui quo religiosius phratriae rebus patrocinentur iureiurando adiguntur.

---

[1] cf. Schoell l. c. 21.

[2] cf. Lys. XXVII 6 *ἂν δὲ ὀφθῶσιν, ἢ μέρει τῶν ἀδικημάτων τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο.* XIX 56 *ὥσπερ ἀδικοῦντος αἱ κατηγορίαι γεγένηνται* cf. adnot. Frohbergeri.

VITA.

Guilelmus Chr. Hofmann natus sum a. d. XIII Kal. Febr. a. h. s. LVII St. Goarshausen in oppidulo rhenano, patre Guilelmo philosophiae doctore scholaeque quam condiderat rectore, quem praematura morte mihi ereptum esse doleo, matre Maria e gente Hoyeriana. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis domi imbutus patre mortuo inde ab undecimo aetatis anno gymnasium Oldenburgense frequentare coepi, quod Ill. Steinio rectore adhuc floret. Maturitatis testimonio vere a. h. s. LXXV instructus Ienae, Argentorati, Berolini iterumque Argentorati litteris graecis latinis philosophis historicis germanicis operam navavi. Scholis interfui Ienae Euckeni, Schoellii, Berolini Kirchhoffii, † Harmsii, Mommseni, Vahleni, Argentorati Baumgarteni, † Laasii, Liebmanni, Michaelis, Nisseni, Schefferi-Boichorst, † Schereri, Schoellii, Studemundi, Weizsaeckeri, Windischii; seminariorum sodalis fui philologici, philosophici, historici. — Omnibus meis praeceptoribus imprimis Argentinensibus gratias ago quam maximas, gratissima autem Schoellii erga me beneficia voluntatemque semper retinebo memoria.

Anno h. s. LXXX die XIX mensis Mart. dissertatione de iurandi apud Athenienses formulis exhibita Argentorati colloquium pro doctoratu ibidemque proximo anno die XV et XVI mensis Iulii examen superavi pro facultate docendi. Inde ab autumno a. h. s. LXXXI Aquis Mattiacis per duo semenstria candidatus probandus, unum pro magistro fui gymnasii, cuius rectori humanissimo Paehlero quantum debeam haud immemor sum. Denique vere a. h. s. LXXXIII inter magistros ordinarios progymnasii realis Amisiensis receptus sum.